L. FLORVS.
DE GESTIS ROMA.
SEXT. RVF. DE
HISTOR. ROMA.
CORVI. DE PRO
GEN[illegible]AVGVS.
.CÆSAR.

[illegible] de Leg[illegible] Roman.




L. FLORI DE GESTIS

[illegible]

[illegible]

[illegible]



[illegible]

BASILEAE APVD IO. HERVAGIVM MENSE
[illegible] ANNO M. D. XXXII.


L. FLORI DE GESTIS ROMANORVM LIBRI QVATVOR A MENDIS ACCVratissime repurgati, unà cũ adnotationibus IO. CAMERTIS, quæ commentarij uice in omnẽ Romanam historiã esse possunt.

AD HAEC, SEXTI RVFFI VIRI CONSVLARIS DE HIstoria Ro. epitome multo quàm antehac emaculatior.

ITEM, MESSALAE CORVINI ORATORIS DISERTISsimi de progenie AVGVSTI CAES. libellus, nunc primũ excusus.

His accessit rerum copiosissimus index.

ἐν τριόδῳ εἰμί.



Fata uiam inuenient.

BASILEAE APVD IO. HERVAGIVM MENSE MARTIO, ANNO M. D. XXXII.

CLARISSIMO VIRO D. VVERNHERO VVOLFLINO IVRIS SIMVL ET HVMANITATIS consultissimo IACOBVS Bedrotus Pludentinus S.

NON te fugit ornatissime uir, disciplinas esse certas, quæ non tantos usus generi humano, quanta sæpenumero adferunt detrimenta. Ac nisi albis & bene natis, quod Græci aiunt, ingenijs contingāt, gladium in furentis manu dixeris, etiam id genus artes, quæ alioqui haudquaquā in malis erant habendæ. Contrà uero, cognita rerum publice priuatimq́ gestarum exempla non modo bonos (hi enim omnibus iuxtà bene utunť) sed & affectuum suorum impotentes, atq; adeo tyrannos ipsos non raro quid expetendum, quid item sit fugiendum opportune admonent, idq́ ut nullo monentis periculo, sic magno aliorum nonnunquam compēdio. Vt interim taceam à nullis uerum syncerius aut cōmodius, neq; minore pudore quàm à libris audiri. Hinc prudentissime putat Erasmus in Christiani principis institutione, quicquid obuium fuerit in historiographis, uertendū esse in exemplum recte agendi. Iam uero quum & in historijs sit nonnihil discriminis, ac aliæ alijs atq; alijs tum linguis tum autoribus sint cōscriptæ, post sacras, quibus nemo non facile primas tribuit, in secundis Romanæ mihi consistere uidentur. Græci enim qua fide rerum gestarum monimenta ad posteros transmiserint, haud obscure illud ex Satyra, uel pueris notum arguit, Et quicquid Græcia mendax audet in historia. Et ut testem æque grauem audiamus, Fabius libro secundo Græcis historicis plerunq; poëticæ similem esse licentiam ait. Nam quæ Lucianus de suis, hoc est, Græcis sentiat, uno uerbo pronunciare non dubitauit, eos τεράστια καὶ μυθώδη συγγεγραφότας dicere ausus. Quo sanè nomine Latinos nunquam adeo male audire cōmemini, quando ipsos certiori multo fide Spartam suam exornasse, atq; adeo haud longo interuallo à prima historiæ lege abesse nemo negat, qua ne quid falsi dicatur, seuerissime cautum est. Vt enim scite inquit Lucianus in commentario de historia conscribenda, ἓν τῆς ἱστορίας ἔργον καὶ τέλος, τὸ χρήσιμον, ὅπερ ἐκ τοῦ ἀληθοῦς μόνου συνάγεται, οὐ γὰρ ἄν τι ψεῦδος ἐμπεσὸν ἡ ἱστορία, οὐδ' ἀκαριαῖον ἀνάσχοιτο. Cæterū quum pleriq; ferè omnes historiæ Ro. scriptores hac ætate eruditorum opera emendate in publicum sint editi, à multisq́ ut magna diligentia, sic pari fructu certatim legantur, consilium cepi, Heruagio in hoc me improbius urgente, de L. Floro castigatius edendo, ut & candidissimus hic autor nostris hominibus non admodū familiaris, paulo studiosius à ueterum memoriarum studiosis exciperet: dignissimus equidem lectu, uel hoc nomine, quod ingentē Liuium non infeliciter in compendium arctauit. Nam dicendi filum, quo uerbis apto & presso scite suam ἐπιτομὴν

contexuit, nemo nō absolutissimum fatebitur. Porrò quid nos in Floro emaculando præstiterimus, aliorum esto iudicium, qui nostrum hunc cum aliјs contulerint. Neq; enim operam meam uenditare nimium libet, ne quispiam argutulus id Græcorū in me detorqueat, ὁ μὲν λόγος θαυμαστός, ὁ δὲ λέγων ἄπιστος. Hoc tamen affirmare ausim, Baptistam Aegnatium placabiliorem multo nobis futurum, quàm olim quibusdam fuerit, qui elegantem hunc scriptorem pro correctissimo ediderunt corruptissimū. Adiecimus præterea Ioannis Camertis uiri in hoc scripti genere diligētissimi annotationes, quæ nō modo concinnam Flori breuitatē fusius explicāt, sed & methodi aut potius Cōcordātiæ, quod aiunt, uice ad reliqua Ro. historiæ monimēta intelligēda mire commodabunt. Consimilis argumenti libellum Sexti Ruffi, & Messalæ celebratissimi oratoris (si nō fallit titulus) de Augusti genealogia panegyricū addidimus, quorū ille multis locis antea deprauatis emendatior exit; hic nunc primū in lucē prodit, dilucidā Ro. imperiј propaginē complectēs. Volui autem Clariss. Doctor opus hoc tuo nomini dicatum, auspicatius in publicum prodire, quod sapientiæ ciuili, cui non mediocre es ornamentum, & huiusce studiorum lautitias adiungere soles. Neq; enim ex eorum es numero, qui ab omni literarum elegantia abhorrentes, humaniorū artium contemptu autoritatē sibi captant. Homines sanè ridiculi, quando nulla alia ratione cōmodius fines suos tueri potest iurisprudentia, q̄ tum dicendi facultate, tum expedita historiarū cognitione. Hinc enim nō minus sana consilia, conatusq; & cogitationes ad honestū, καὶ τὸ ἐπιεικὲς eruere licebit, quàm ex sinuosis iureconsultorum quorundam uoluminibus. Cuius rei nihil est quod dubitem sæpenumero te fecisse periculum. Bene uale in Christo Iesu uir humanissime.

Argent. kalen. Mar. Anno M. D. XXVIII.

INDEX.

Perlege quæ sequitur tabulam mi candide lector,
Qua duce mox totum mente tenebis opus.
Primus scriptus habet numerus caput: inde libellum.
Obuia deprendes ordine quæque tibi.

B

Bituriges

Cluſium

Duillij

Interamnum

Marij

N

Pollux

Scipionis

Victima

BELLORVM QVAE ROmani gesserūt, catalogus.

FINIS.

FINIS.

LVCII FLORI GESTORVM ROMANORVM EPITOMES LIB. PRIMVS.

PROLOGVS.

POPVLVS Romanus à rege Romulo in Cæsarem Augustum septingentos per annos, tantum operum pace belloq; gessit, ut si quis magnitudinem imperij cum annis conferat, ætatẽ ultra putet. Ita late per orbem terrarũ arma circumtulit, ut qui res eius legunt, non unius populi, sed generis humani facta discant. Nam tot laboribus, periculisq; iactatus est, ut ad cõstituendum eius imperium, contendisse uirtus, & fortuna uiderentur. Quare quum præcipue hoc quoq; sicut cætera, operæprecium sit cognoscere, tamen quia ipsa sibi obstat magnitudo, rerumq; diuersitas aciem intentionis abrumpit, faciam quod solent qui terrarũ situs pingunt, in breui quasi tabella totam eius imaginem amplectar, nonnihil ut spero in admirationẽ principis populi collaturus, si pariter atq; in semet uniuersam magnitudinẽ eius ostendero. Si quis ergo populum Ro. quasi hominem consideret, totamq; eius ætatem percenseat, ut cœperit, utq; adoleuerit, ut quasi ad quendam iuuentæ florem peruenerit, ut postea uelut cõsenuerit, quatuor gradus processusq; eius inueniet. Prima ætas sub regibus fuit, propè CCL. per annos, quibus circum ipsam matrem suam cum finitimis luctatus est. Hæc erit eius infantia. Sequens à Bruto Collatinoq; consulibus, in Appium Claudium, Quintumq; Fuluium consules, CC. annos habet, quibus Italiam subegit. Hoc fuit tempus uiris armisq; incitatissimum. Ideo quis adolescentiam dixerit. Dehinc ad Cæsarem Augustum CCL. anni, quibus totum orbem pacauit. Hic iam ipsa iuuenta imperij, & quasi quædam robusta maturitas. A Cæsare Augusto in seculum nostrum, sunt non multo minus anni CC. quibus inertia Cæsarum quasi consenuit, atq; decoxit, nisi quòd sub Traiano principe mouet lacertos, & præter spem omnium senectus imperij quasi reddita iuuentute reuirescit.

700. anni ab urbe condita usq; ad Augustum.

Aetatis gradus pop. Ro.

DE ROMVLO PRIMO ROMANORVM REGE, CAPVT PRIMVM.

PRimus ille & urbis, & imperij conditor Romulus fuit à Marte genitus, & Rhea Syluia. Hoc de se Vestæ sacerdos grauida confessa est, nec mox fama dubitauit, quũ Amulij imperio abiectus in profluentem cum Remo fratre non potuit extingui. Siquidẽ & Tyberinus amnẽ repressit, & relictis catulis lupa uagitum sequuta, ubera

a admouit

admouit infantibus,matremq; se gessit. Sic repertos apud arborē Faustulus regis pastor tulit in casam, atque educauit. Alba tunc erat Latio caput, Iuli opus:nam Lauiniū patris Æneæ contēpserat. Ab his Amulius iam bis septima sobole regnabat,fratre pulso Numitore,cuius ex filia Romulus. Igit' prima iuuentæ face patruū Amuliū ab arce deturbat,auum reponit: ipse fluminis amator & montium,apud quos erat educatus, mœnia nouæ urbis agitabat. Gemini erāt,uter auspicaret' & regeret, adhibuere piacula. Remus montem Auentinum,hic Palatinum occupauit. Prior ille sex uultures, hic postea, sed XII. uidit. Sic uictor augurio,urbem excitat: plenus spei bellatricē fore: ita illi assuetæ sanguini & prædæ aues pollicebant'. Ad tutelā nouę urbis sufficere uallum uidebatur, cuius dum irridet angustias Remus, idq; increpat saltu,dubiū an iussu fratris,occisus est. Prima certe uictima fuit,munitionēq; urbis nouæ sanguine suo consecrauit. Imaginē urbis magis quàm urbem fecerat. Incolæ deerant. Erat in proximo lucus,hunc Asylum facit, & statim mira uis hominum,Latini, Tuscíq; pastores,quidam & transmarini Phryges, qui sub Ænea: Arcades,qui sub Euandro duce influxerāt. Ita ex uarijs quasi elementis congregauit corpus unū,populumq; Romanū ipse fecit. Res erat unius ætatis. Populus uirorum. Itaq; matrimonia à finitimis petita,quia nō impetrabantur,manu capta sunt. Simulatis quippe ludis equestribus,uirgines,quæ ad spectaculum uenerant prædæ fuere:& hæc statim causa bellorū. Pulsi fugatiq; Veientes. Ceniensium captum ac dirutū est oppidū. Spolia insuper opima de rege,Feretrio Ioui manib. suis rex reportauit. Sabinis proditæ portæ per uirginem,nec dolo,sed puella precium rei, quam gerebant in sinistris,petierat:dubium clypeos,an armillas. Illi ut & fidem soluerent,& ulciscerentur,clypeis obruere. Ita admissis intra mœnia hostibus,atrox in ipso foro pugna,adeo ut Romulus Iouem oraret,ut fœdam suorum fugam sisteret. Hic templum esto,inquit,Stator Iupiter. Tandē sęuientibus,interuenere raptæ laceris comis. Sic pax facta cum Tatio,fœdusq; percussum,sequutaq; res mira dictu,ut relictis sedibus suis nouam in urbem hostes demigrarent, & cum generis suis auitas opes pro dote sociarent. Auctis breui uiribus,hūc rex sapientissimus statum Reipub. imposuit,ut iuuentus diuisa per tribus,in equis,& in armis ad subita bella excubaret. Consilium Reipub. penes senes esset,qui ex autoritate patres,ob ætatem,senatus uocabantur. His ita ordinatis,quum repente concionem haberet,ante urbem apud Capreæ paludem,è conspectu ablatus est. Discerptū aliqui à senatu putant ob asperius ingeniū: sed oborta tempestas,solisq; defectio consecrationis speciem præbuere. Cui mox Iulius Proculus fidem fecit,uisum à se Romulum affirmans,augustiore forma quàm fuisset:mandare præterea ut se pro numine acciperent: Quirinū in cœlo uocari placitum dijs:ita gentium imperio Roma potiretur.

Remus occiditur.

Sabinarum raptus.

Prima spolia opima.

Senatus à Romulo constitutus.

DE NVMA

DE NVMA POMPILIO. CAPVT SECVNDVM.

SVccessit Romulo Numa Pompilius, quem Curibus Sabinis agentem ultro petiuere, ob inclytā uiri religionē. Ille sacra, & cærimonias, omnemq́; cultum deorum immortalium docuit. Ille Pontifices, Augures, Salios, cæterosq́; per sacerdotia: annū quoq; in XII. menses, fastos dies, nefastosq́; descripsit. Ille Ancilia atq; Palladiū, secreta quædā imperij pignora, Ianumq́; geminum, fidem pacis ac belli: in primis focum Vestæ uirginibus colendum dedit, ut † ad simulachrum cœlestium syderum, custos imperij flamma uigilaret. Hæc omnia quasi monitu deæ Ægeriæ, quo magis barbari acciperēt. Eò denique ferocem populum redegit, ut quod ui & iniuria occupauerat imperium, religione atq; iusticia gubernaret.

Numæ Pōpilij instituta.

† ad similitudinem.

DE TVLLO HOSTILIO. CAPVT III.

EXcipit Pompilium Numam Tullus Hostilius, cui in honorem uirtutis regnū ultro datum. Hic omnem militarem disciplinā, artemq́; bellandi condidit. Itaq; mirum in modum exercitata iuuentute, prouocare ausus Albanos, grauem & diu principē populum. Sed quū pari robore frequentibus prælijs utrinq; cōminuerentur, misso in compendium bello, Horatijs, Curiatijsq́;, trigeminis hinc atq; inde fratribus, utriusq; populi fata cōmissa sunt. Anceps, & pulchra contētio, exituq́; ipso mirabilis. Tribus quippe illinc uulneratis, hinc duobus occisis, qui supererat Horatius, addito ad uirtutē dolo, ut distraheret hostem simulat fugam, singulosq́; prout sequi poterant adortus exuperat. Sic (rarum aliâs decus) unius manu parta uictoria est, quam ille mox parricidio fœdauit. Flentem spolia circa se sponsi quidem, sed hostis sororem uiderat: hunc tam immaturum uirginis amorem ultus est ferro. Citauere leges nefas, sed abstulit uirtus parricidam, & facinus intra gloriam fuit. Nec diu in fide mansit Albanus. Nam Fidenati bello missi in auxiliū ex fœdere, medij inter duos expectauere fortunam. Sed rex callidus ubi inclinare se socios ad hostē uidet, tollit animos quasi ipse mandasset: spes inde nostris, metus hostibus. Sic fraus proditorum irrita fuit. Itaq; hoste uicto, ruptorem fœderis Metium Suffetium religatum inter duos currus, pernicibus equis distrahit, Albamq́; ipsam quamuis parentē, æmulam tamen diruit: quū prius omnes opes urbis, ipsumq́; populum Romam transtulisset, prorsus ut consanguinea ciuitas non perijsse, sed in suum corpus redijsse rursus uideretur.

Horatij & Curiatij.

Metij supplicium.

Alba diruitur.

DE ANCO MARTIO. CAPVT IIII.

ANcus deinde Martius, nepos ex filia Pompilij, pari ingenio. Hic igitur & mœnia muro amplexus est, & interfluentem urbi Tyberinū, ponte cōmisit, Hostiamq́; in ipso maris, fluminisq́; confinio, coloniam posuit: iam tum uidelicet præsagiens animo futurum, ut totius mundi opes, & commeatus illo ueluti maritimo urbis hospitio reciperentur.

Hostia colonia.

DE TARQVINIO PRISCO. CAPVT V.

TArquinius postea Priscus quamuis transmarinæ originis, regnum ultro petens, accipit, ob industriam atq; elegantiã. Quippe qui oriundus Corintho, græcum ingenium Italicis artibus miscuisset. Hic & senatus maiestatem numero ampliauit, & centurijs tribus auxit: quamuis Actius Nauius numerum augeri prohiberet: summus augurio, quem rex in experimentum rogauit, fieri ne posset, quod ipse mente conceperat. Ille rem expertus augurio, posse respondit. Atq; hoc, inquit, agitabam, an cotem illam secare nouacula possem. Augur, potes ergo, inquit: & secuit. Inde Romanis sacer auguratus. Neq; pace Tarquinius, quàm bello promptior. XII. nanq; Tusciæ populos frequentibus armis subegit, & inde Fasces, Trabeæ, Curules, Annuli, Phaleræ, Paludamẽta, Prætexta, inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur, Togæ pictæ, tunicæq; Palmatæ, omnia deniq; decora & insignia quibus imperij dignitas eminet.

Ro. regum insignia.

DE SERVIO TVLLIO. CAPVT VI.

SEruius Tullius deinceps gubernacula urbis inuadit: nec obscuritas inhibuit, quamuis matre serua creatum. Nam ob eximiam indolẽ uxor Tarquinij Tanaquil liberaliter educauerat: & clarum fore uisa circa caput flamma promiserat. Ergo inter Tarquinij mortẽ, admittente regina substitutus in locum regis quasi ad tempus. Regnum dolo partum sic egit industria, ut iure adeptus uideretur. Ab hoc P. R. relatus in censum, digestus in classes, curijs atq; collegijs distributus. Summaq; regis solertia ita est ordinata Resp. ut omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artiũ, officiorumq; discrimina, in tabulis referrent, ac si maxima ciuitas minimæ domus diligẽtia cõtineret.

Census ciuitatis.

DE TARQVINIO SVPERBO. CAPVT VII.

POstremus omnium fuit regum Tarquinius, cui cognomen Superbo ex moribus datum. Hic regnum auitum, quod à Seruio tenebatur, rapere maluit quàm expectare, immissisq; in eum percussoribus, scelere partam potestatem non melius egit, quàm acquisierat. Nec abhorrebat moribus uxor Tullia, quæ ut uirum regem salutaret, super cruentum patrem uecta carpẽto, consternatos equos egit. Sed ipse in senatum cædibus, in omnes, superbia† q; crudelitate grauior, bonos grassatus, quum sæuitiã iam domi fatigasset, tandem in hostes conuersus est: sic ualida oppida in Latio capta sunt, Ardea, Otriculum, Gabij, Suessa, Pometia. Tum quoq; cruẽtus in suos. Neq; enim filium uerberare dubitauit, ut simulanti transfugam apud hostes hinc fides esset: cui Gabijs ut uoluerat recepto, atq; per nuncios cõsulenti quid fieri uellet, eminentia forte papauerũ capita uirgula excutiens, quum per hoc interficiendos esse principes intelligi uellet: quæ superbia sic respondit. Tamen de manubijs captarum urbium templum erexit, quod quum inauguraretur, cedentibus cæteris deis (mira res dictu) restitere Iuuenta & Terminus. Placuit

Tullia impia in parentẽ.

† quæ crudelitate grauior est bonis.

uatibus

uatibus contumacia numinum. Siquidem firma omnia, & æterna pollicebantur. Sed illud horrendum, quod molientibus sedem, in fundamentis humanum repertum est caput: nec dubitauere cuncti, monstrũ pulcherrimum, imperij sedem, caputq́ terrarum promittere. Tamdiu superbiam regis P.R. perpessus est, donec aberat libido: hanc ex liberis eius importunitatem tolerare non potuit, quorum quum alter ornatissimæ fœminæ Lucretię stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiauit. Imperiũ tum regibus abrogatũ. *Caput prodigiose repertũ*

ANACEPHALAEOSIS DE SEPTEM REGIBVS. CAPVT VIII.

HÆc est prima ætas P.R. & quasi infantia, quam habuit sub regibus septem, quadam fatorum industria, tam uarijs ingenio, ut Reipub. ratio & utilitas postulabat. Nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit, ut inuaderet regnum. Quid Numa religiosius? talem res poposcit, ut ferox populus deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus, bellatoribus uiris quàm necessarius? ut acueret ratione uirtutem. Quid ædificator Ancus? ut urbem colonia extenderet, ponte iungeret, muro tueretur. Iam uero Tarquinij ornamenta & insignia quantam principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem? Actus à Seruio census quid effecit, nisi ut ipsa se nosceret respublica? Postremo Superbi illius importuna dominatio nonnihil, immo uel plurimum profuit. Sic enim effectum est, ut agitatus iniurijs populus, cupiditate libertatis incenderetur.

DE MVTATIONE REIPVB. CAPVT IX.

IGitur Bruto Collatinoq́ ducibus & autoribus, quibus ultionem sui moriens matrona mandauerat, populus Romanus ad uindicandũ libertatis ac pudicitiæ decus, quodam quasi instinctu deorum concitus, regem repente destituit, bona diripit, agrum Marti suo cõsecrat, imperium in eosdem libertatis suæ uindices transfert. Mutato tamen & iudice, & nomine. Quippe ex perpetuo annuũ placuit, ex singulari duplex, ne potestas solitudine uel mora corrumperetur. Consulesq́ appellauit pro regibus, ut cõsulere se ciuibus suis debere meminissent. Tantumq́ libertatis nouæ gaudiũ incesserat, ut uix mutati status fidem caperent, alterumq́ ex consulibus tantum ob nomen, & genus regium, fascibus abrogatis urbe dimitterent. Itaq́ substitutus Valerius Publicola summo studio annixus est ad augendã liberi populi maiestatẽ. Nam & fasces ei pro libera concione submisit, & ius prouocationis aduersus ipsos dedit. Et ne specie arcis offenderet, eminentes ædes suas in plana submisit. Brutus uero fauori ciuium etiam domus suæ clade & parricidio uellificatus est. Quippe quum studere reuocandis in urbem regibus liberos suos comperisset, protraxit in forum, & cõcione media uirgis cecidit, & securi percussit, ut planè publicus parens in locum liberorum adoptasse sibi populum Ro. uideret. Liber iam hinc P.R. prima aduersus exteros arma pro libertate

corripuit,mox pro finibus,deinde pro socijs,tum gloria,& imperio,lacessentibus assidue usquequaq; finitimis. Quippe quũ patrij soli gleba nulla esset, sed statim pomerium, mediusq; inter Latium & Tuscos quasi in quodam biuio collocatus, omnibus portis in hostẽ incurreret,donec quasi contagione quadam per singulos itum est,& proximis quibusq; correptis totam Italiam sub se redigeret.

BELLVM ETHRVSCVM CVM REGE PORSENNA. CAP. X.

PVlsis ex urbe regibus,prima pro libertate arma corripuit.Nã Porsenna rex Ethruscorum ingentibus copijs aderat, & Tarquinios manu reducebat.Hunc tamen,quãuis & armis,& fame urgeret,occupatoq; Ianiculo ipsis urbis faucibus incubaret,sustinuit, repulit: nouissime etiã tanta admiratione perculit, ut superior ultro cum penè uictis amicitiæ fœdera feriret. Tunc illa Romana pericula atq; miracula,Horatius,Mutius, Clœlia,quæ nisi in annalibus forent,hodie fabulæ uiderentur. Quippe Horatius Cocles postquam hostes undiq; instantes solus submouere nõ poterat,ponte reciso transnatat Tyberim,nec arma dimittit. Mutius Scæuola regem per insidias in castris eius aggreditur:sed ubi frustratum circa purpuratũ eius ictum tuetur,ardentibus focis inijcit manũ,terroremq; geminat dolo. Vt scias, inquit, quem uirum effugeris,idẽ trecenti iurauimus.Quũ interim (immane dictu)hic interritus,ille trepidaret, tanquam manus regis arderet. Sic quidem uiri.Sed ne quis sexus à laude cessaret,ecce & uirginũ uirtus.Vna ex obsidibus regi data †elusa custodia, Clœlia per patriũ flumen equitabat:& rex quidem tot,tantisq; uirtutum territus monitis,ualere librosq; esse iussit. Tarquinij tamdiu dimicauerunt,donec Aruntem filium regis manu sua Brutus occidit,superq; ipso mutuo uulnere expirauit.Planè quasi adulterũ ad inferos usq; sequeret.

† elapsa custodiã.

BELLVM LATINVM. CAPVT XI.

LAtini quoq; Tarquinios asserebant æmulatione & inuidia, ut populus qui foris dominabatur, saltem domi seruiret. Igitur omne Latiũ Manilio Tusculano duce,quasi in regis ultionem tollit animos. Apud Regilli lacũ dimicatur,diu Marte uario, donec Posthumius ipse dictator signum in hostes iaculatus est.Nouum & insigne commẽtum, uti peteretur cursu. Cossus equitum magister exuere frenos imperauit, & hoc nouum,quo acrius incurrerent.Ea demum atrocitas fuit prælij,ut interfuisse spectaculo deos fama tradiderit. Duos in candidis equis Castorem atq; Pollucem nemo dubitauit. Itaq; & Imperator ueneratus est,nactusq; uictoriã,templa promisit,& reddidit sanè quasi cõmilitonibus deis stipendiũ. Hactenus pro libertate. Mox de finibus cum eisdem Latinis assidue, & sine intermissione pugnatum est. Sora (quis credat?) & Algidum terrori fuerũt,Satricum, atq; Corniculũ prouinciæ. De Veijs, & Bouillis pudet,sed triumphauimus. Tibur nunc suburbanum,

banum,& æstiuæ Præneste delitiæ,nuncupatis in Capitolio uotis petebant. Idem tunc Fesulæ quod Taphræ. Nuper idem nemus Aricinum,quod Hercinius saltus. Fregellæ,quod Gesoriacum,quod Tigris,quod Euphrates. Coriolos quoq; (proh pudor) uictos adeo gloriæ fuisse, ut captum oppidũ Cn. Martius Coriolanus quasi Numantiam aut Africã nomini indueret. Extãt & parta de Antio spolia, quæ mœnibus in suggestu fori capta hostiũ classe suffixit: si tamen illa classis, nam sex fuere rostratæ. Sed hic numerus, illis initijs, nauale bellũ fuit. Peruicacissimi tamen Latinorum equi & Volsci fuere, & quotidiani, ut sic dixerim, hostes. Sed hos præcipue Lucius Quintius domuit, ille dictator ab aratro, qui obsessa, ac penè iã capta Marci Minutij consulis castra, egregia uirtute seruauit. Medium erat forte tempus semẽtis, quũ patricium uirum innixum aratro suo, lictor in ipso opere deprehendit. Inde in aciem profectus, ne quid à rustici operis imitatione cessaret, uictos more pecudũ sub iugum misit. Sic expeditione finita, redijt ad boues rursus triumphalis agricola. Fides numinum, qua uelocitate, intra XV. dies cœptũ peractumq; bellum: prorsus ut festinasse dictator ad relictũ opus uideretur.

BELLVM CVM ETHRVSCIS, FALISCIS, ET FIDENATIBVS. CAP. XII.

ASsidui uero,& anniuersarij hostes ab Ethruria fuere Veientes, adeo ut extraordinariã manum aduersus eos promiserit, priuatumq; gesserit bellum gens una Fabiorũ satis superq; idonea clades. Cæsi apud Cremerã trecenti & sex, patricius exercitus,& scelerato signať nomine, quæ proficiscentes in præliũ porta dimisit. Sed ea clades ingẽtibus expiata uictorijs, postq; per alios atq; alios duces, robustissima capta sunt oppida, uario quidẽ euentu. Falisci se sponte dediderunt. Cremati suo igne Fidenates. Rapti funditus, deletiq; Veientes. Falisci quum obsiderenť, mira uisa est fides Imperatoris, nec immerito, quod ludimagistrũ, urbis proditorẽ, cum his quos adduxerat pueris, uinctum sibi ultro remisisset. Eam nanq; furius Camillus uir sanctus, & sapiens, sciebat ueram esse uictoriã, quæ salua fide,& integra dignitate pararetur. Fidenæ quia pares non erant ferro, ad terrorem mouendũ facibus armatæ,& discoloribus serpentũ in modum uitis furiali more processerant: sed habitus ille feralis euersionis omen fuit. Veientium quanta res fuerit, indicat decennis obsidio. Tunc primũ hyematũ sub pellibus. Taxata stipendio hyberna. Adactus miles sua sponte iureiurando, nisi capta urbe non remeare. Spolia de Laërte Tolunnio rege ad Feretriũ reportata. Deniq; nõ scalis, nec irruptione, sed cuniculo,& subterraneis dolis peractũ urbis excidium. Ea deniq; uisa est prædæ magnitudo, ut eius decimæ Apollini Pythio mitterenť. Vniuersusq; populus Ro. ad direptionem urbis uocareť. Hoc tũc Veientes fuere, nunc fuisse quis meminit? quæ reliquiæ? quod'ue uestigium? Laborat annalium fides, ut Veios fuisse credamus.

Fabiorum cædes.

BELLVM GALLICVM. CAP. XIII.

HInc siue inuidia deûm, siue fato, rapidissimus procurrentis imperij cursus parũper Gallorũ Senonũ incursione supprimit̃. Quod tẽpus P.R. nescio utrũ clade funestius fuerit, an uirtutis experimentis speciosius. Ea certe fuit uis calamitatis, ut in experimentũ illatã putẽ diuinitus, scire uolẽtibus immortalibus dijs, an Romana uirtus imperiũ orbis mereret̃. Galli Senones, gens natura ferox, moribus incondita, ad hoc ipsa corporũ mole perinde ac armis ingentibus adeo omni genere terribilis fuit, ut planè nata ad hominũ interitũ, urbiũ stragem uideret̃. Hi quondã ab ultimis terrarũ oris, quũ cingerentur omnia oceano, ingẽti agmine profecti, quũ iam media uastassent, positis inter alpes & Padũ sedibus, ne his quidem cõtenti, per Italiã uagabant̃. Tum Clusium oppidũ obsidebant. Pro socijs ac fœderatis P.R. interuenit. Missi ex more legati. Sed quod ius apud barbaros? Ferocius agunt. Mouẽt exinde certamen. Conuersis igit̃ à Clusio, Romamq; uenientibus, ad Alliã flumen cũ exercitu Fabius cõsul occurrit. Nõ Cremeræ fœdior clades. Itaq; hunc diẽ fastis Roma mandauit. Fuso exercitu, iam mœnibus urbis appropinquabãt. Erãt nulla præsidia. Tum igit̃, aut nunq; aliâs apparuit uera illa Romana uirtus. Iampridẽ maiores natu amplissimis usi honoribus in forũ coëunt: ibi deuouente pontifice, dijs se manibus consecrant, statimq; in suas quisq; ædes regressi sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese posuerunt, ut quũ uenisset hostis, in sua dignitate morerentur. Pontifices & Flamines, qcqd religiosissimi in tẽplis erat partim in dolijs defossa terra recondũt, partim imposita plaustris secũ auferunt. Virgines simul ex sacerdotio Vestæ nudo pede fugientia sacra comitant̃: tamen excepisse fugientes unus è plebe fert̃ L. Albinus, qui depositis uxore & filijs, uirgines in plaustrũ recepit. Adeo tũ quoq; in ultimis religio publica priuatis affectibus antecellebat. Iuuẽtus uero, quã satis cõstat uix mille hominũ fuisse, duce Mãlio arcẽ capitolini mõtis insedit, obtestata ipsum quasi præsentẽ Iouẽ, ut quẽadmodũ ipsi ad defendendũ templũ eius cõcurrissent, ita ille uirtutẽ eorũ numine suo tueret̃. Aderãt interim Galli, apertãq; urbẽ primo trepidarũt q subesset dolus: mox ubi solitudinẽ uident, pari clamore & impetu inuadũt. Patẽtes passim domos adeunt: ubi sedentes in curulibus sellis prætextatos senes, uelut Deos Geniosq; uenerati, mox eosdẽ postq; esse hoĩes liquebat, alioquin nihil respõdere dignãtes, pari uecordia mactãt, facesq; tectis inijciũt, & totã urbẽ igne, ferro, manibus solo exæquãt. Sex mensibus barbari (qs crederet?) circa mõtẽ unũ pepẽderũt, nec diebus modo, sed noctibus oĩa experti. Quũ tamen Manlius nocte subeuntes, clãgore anseris excitatus, à summa rupe deiecit, & ut spẽ hostibus demeret, quanq̃ in sũma fame, tñ ad spẽ fiducię panes ab arce iaculatus est. Et stato quodã die per medias hostiũ custodias, Fabiũ Pontificẽ ab arce demisit, q solẽne sacrũ in Quirinali monte conficeret. Atq; ille per media hostiũ tela incolumis religionis auxilio redijt, ꝓpitiosq; deos renunciauit.

renũciauit. Nouissime quũ iam obsidione sua barbaros fatigasset, mille pondo auri recessum suũ uendicantes, idq; ipsum per insolentiã quum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, superbe uictos increparẽt, subito aggressus à tergo Camillus adeo cecidit, ut omnia incendiorũ uestigia gallici sanguinis inundatione deleret. Agere gratias dijs immortalibus pro ipso tantæ cladis nomine libet. Pastorũ casas ignis ille & flamma paupertatẽ Romuli abscondit. Incendiũ illud quid egit aliud, nisi ut destinata hominũ ac deorũ domicilio ciuitas nõ deleta, nõ obruta, sed expiata potius & illustrata uideat? Igitur post assertã à Manlio, restitutã à Camillo urbẽ, acrius etiã uehementiusq; in finitimos resurrexit. Ac primũ omniũ illã ipsam Gallicã gentem nõ cõtentus mœnibus expulisse, quũ per Italiã naufragia sua latius traheret, sic persequutus est duce Camillo, ut hodie nulla Senonũ uestigia supersint. Semel apud Anienẽ trucidati, quũ singulari certamine Manlius aureũ torquẽ Barbaro *Manlius*
inter spolia detraxit. Inde Torquati. Iterũ Põtino agro, quũ in simili pugna *Torquatus*
L. Val. insidente galeæ satyria alite adiutus retulit spolia. Et inde Coruini. Necnõ tamen post aliquot annos, omnes reliquias eorum in Ethruria ad lacum Vadimonis, Dolobella deleuit, ne quis extaret in ea gente, qui incẽsam à se Romã urbem gloriaretur.

BELLVM LATINVM. CAPVT XIIII.

CONuersus à Gallis in Latinos, Manlio Torquato, Decio Murena cõsulibus, semper quidẽ æmulatione imperij & magistratuũ infestos, tum uero contemptu urbis incẽsæ, quũ ius ciuitatis, partẽ imperij, ac magistratuũ poscerẽt, pari imperio, atq; iam amplius q; congredi auderent: quo tempore quis cessisse hostẽ mirabit? quũ alter consulũ filiũ suum, quia contra imperiũ *Manlius filiũ*
pugnauerat, quamuis uictorẽ occiderit, quasi plus in imperio esset q; in ui- *occidit.*
ctoria. Alter quasi monitu deorũ capite uelato primũ ante aciẽ dijs manibus *Decius se*
se deuouerit, ut in confertissima se hostium tela iaculatus, nouum ad uictoriã *deuouet.*
iter sanguinis sui semita aperiret.

BELLVM SABINVM. CAPVT XV.

A Latinis aggressus est gentem Sabinorum, qui immemores factæ sub Tito Tatio affinitatis quodã contagio belli se Latinis adiunxerũt. Sed Curio Dentato consule, omnẽ eum tractũ, quà Nar ambit fontesq; Velini, Adriatico tenus mari, igne ferroq; uastauit: qua uictoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatẽ, ut in utro plus esset, ne ipse posset existimare qui uicerat.

BELLVM SAMNITICVM. CAP. XVI.

PRecibus deinde Cãpaniæ motus nõ pro se, sed quod est speciosius, pro socijs Samnitas inuadit. Erat fœdus cũ utrisq; percussum: sed hoc Campani sanctius, & prius omniũ suorũ deditione fecerunt. Sic ergo Romanus bellũ Samniticũ tanquã sibi gessit. Omniũ nõ modo Italia, sed toto orbe terrarũ pulcherrima Cãpaniæ plaga est. Nihil mollius cœlo: deniq; bis floribus

uernat,

uernat,nihil uberius solo: ideo Liberi,Cererisq; certamen dicitur: nihil hospitalius mari.Hic illi nobiles portus,Caieta, Misenus, & tepentes fontibus Baiæ,Lucrinus & Auernus, quædam maris ocia. Hic amicti uitibus mõtes, Gaurus,Falernus, Massicus,& pulcherrimus omniũ Vesuuius,Ætnæi ignis imitator. Vrbes ad mare,Formiæ,Cumæ,Puteoli, Neapolis,Herculaneum, Pompeij,& ipsa caput urbium Capua,quondam inter tres maximas,Romã Carthaginemq; numerata.Pro hac urbe,ijs regionibus P. R. Samnitas inuasit,gentem,si opulentiam quęras,aureis & argenteis armis,discolori ueste, usq; ad ambitum armatam. Si insidiarum fallaciã, saltibus fere & montium fraude grassantem.Si rabiem ac furorem,sacratis legibus,humanisq; hostijs in exitium urbis agitatam. Si pertinaciam,sexies rupto fœdere cladibusque ipsis animosiorem. Hos tamen quinquaginta annis per Fabios & Papirios patres,eorumq; liberos ita subegit ac domuit,ita ruinas ipsas urbium diruit, ut hodie Samniũ in ipso Samnio requirat, nec facile appareat materia quatuor & uiginti triumphorum. Maxime tamen nota & illustris ex hac gente clades apud Caudinas furcas,Veturio Posthumioq; cõsulibus, accepta est. Clauso enim per insidias intra eum saltum exercitu,unde nõ posset euadere, stupens occasione tanta dux hostium Pontius, Herenniũ patrem consuluit: & ille, Mitteret omnes,uel occideret, sapienter ut senior suaserat. Hic armis exutos mittere sub iugum maluit,ut nec amici forent beneficio,& post flagitium hostes magis.Itaq; & consules magnifice uoluntaria deditione turpitudinem fœderis dirimunt,& ultionem flagitans miles Papirio duce(horribile dictu) subiectis ensibus per ipsam uiam ante pugnam furit, & in congressu arsisse omnium oculos,hostis autor fuit:nec prius finis cædibus datus, quàm iugum & hostibus,& duci capto,reposuerunt.

Samnium in ipso requiri.

BELLVM ETHRVSCVM ET SAMNITICVM. CAPVT XVII.

HActenus P.R.cum singulis gentium, mox aceruatim,tamen sic quoq; par omnibus. Etruscorũ XII. populi in id tẽpus incitati, antiquissimus Italiæ populus Samnitium, reliqui in excidium Romani nominis repente coniurant.Erat terror ingens tot simul,tantorumq; populorum. A latere,Ethruria infesta,quatuor agminum signa uolitabant.Ciminius interim saltus in medio, ante inuius planè quasi Calydonius, uel Hercinius, adeo tunc terrori erat, ut senatus consuli denunciaret,ne tantum periculi ingredi auderet. Sed nihil horum terruit ducẽ, quin fratre præmisso exploraret accessus.Ille per noctem pastorio habitu speculatus omnia refert.Tum sic Fabius Maximus periculosissimum bellum, periculo explicauit. Nam subito inconditos atque palantes aggressus est, captisque superioribus iugis,in subiectos suo more detonuit. Ea nanque species fuit illius belli, quasi in terrigenas è cœlo ac nubibus tela mitterẽtur: nec incruenta tamen illa uictoria:nam oppressus in sinu

in sinu uallis alter consulum Decius more patrio deuotum dijs manibus obtulit caput, solennéq; familiæ suæ consecratione in uictoriæ preciũ redegit.

BELLVM TARENTINVM, ET CVM PYRRHO REGE. CAPVT XVIII.

Sequitur bellum Tarentinum, unum quidem titulo & nomine, sed uictoria multiplex. Hoc enim Campanos, Apulos, atq; Lucanos, & caput belli Tarentinos, idem totam Italiam, & cum istis omnibus Pyrrhum clarissimũ Græciæ regem, una ueluti ruina pariter inuoluit, ut eodem tempore & Italiã consummaret, & transmarinos triumphos auspicaretur. Tarentũ etiam Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam & Apuliæ, totiusq; Lucaniæ caput, tum magnitudine & muris, portuq; nobili, tum mirabili situ. Quippe in ipsis Adriatici maris faucibus posita, in oras nostras, Histriã, Illyricum, Epyrum, Achaiam, Aphricam, Siciliam uela dimittit. Imminet portui ad prospectum maris positum urbis Theatrum, quod quidẽ causa miseræ ciuitati fuit omnium suarum calamitatum. Ludos forte celebrabant, quum remigantes littori Romanas classes inde uident, atq; hostem rati, emicãt, sine discrimine insultant: qui aũt, aut unde Romani, nec satis norant. Aderat sine mora querelam ferens legatio: hanc quoq; fœdius per obscœnam, turpemq; dictu contumeliam uiolant. Ex hinc bellum: sed apparatus horribilis, quum tot simul populi pro Tarentinis consurgerent, omnibusq; uehementior Pyrrhus, qui semigræcam ex Lacedæmonijs conditoribus ciuitatem uindicaturus, cum totius uiribus Epyri, Thessaliæ, Macedoniæ, incognitisq; in id tẽpus elephantis, mari, terra, uiris, equis, armis, addito insuper ferarum terrore, ueniebat. Apud Heracleam, & Campaniæ fluuium Lyrim Leuino consule, prima pugna: quæ tam atrox fuit, ut Ferentaneæ turmæ præfectus inuectus in regem turbauerit, coëgeritq; proiectis insignibus prælio excedere. Factum erat, nisi elephanti conuersi in spectaculum belli procurrissent, quorum tum magnitudine, tum deformitate, & nouo colore simul ac stridore consternati equi, quũ incognitas sibi belluas amplius quàm erãt suspicarent, fugã, stragemq; late dederunt. In Apulia deinde apud Asculum melius dimicatum est, Curio, Fabricioq; Cons. Iam quippe belluarum terror exoleuerat, & Caius Minutius quartæ legionis hastatus, unius proboscide abscisa mori posse belluas ostenderat. Itaq; & in ipsas pila cõgesta sunt: & in turres uibratæ faces, tota hostiũ agmina ardentibus ruinis operuerunt: nec alius cladi finis fuit, quàm nox dirimeret, postremusq; fugientium ipse rex à satellitibus humero saucius in armis suis referretur. Lucaniæ suprema pugna sub Arusinis, quos uocant, campis, ducibus ijsdem qui superius. Et tunc tota uictoria exitum, quẽ datura uirtus fuit, casus dedit. Nam productis in primam aciem rursus elephantis, unũ ex his pullũ adacti in caput teli grauis ictus auertit: qui quũ per stragẽ suorum percurrens stridore quereretur, mater agnouit, & quasi uindicatura exiliuit;

Tarentum.

exiliuit, tum omnia circa quasi hostilia graui timore permiscuit: ac si cædem feræ, quæ primam uictoriam abstulerant, secundam parem facerēt, tertiam sine controuersia tradidere. Nec uero tantum armis, & in campis, sed consilijs quoq; & domi, & intra urbem cum rege Pyrrho dimicatum est. Quippe post primam uictoriā rex callidus intellecta uirtute Romana, statim desperauit armis, seq; ad dolos contulit. Nam interemptos cremauit, captiuosq; indulgenter habuit, & sine precio restituit. Missisq; deinde legatis in urbem, omni modo adnixus est, ut in amicitiam reciperetur. Sed bello & pace, foris & domi, omnem in partem Romana uirtus tum se probauit: nec aliâs magis quàm Tarentina uictoria ostendit populi Romani fortitudinem, senatus sapientiam, ducum magnanimitatem. Qui nam illi fuerunt uiri, quos ab elephantis primo prælio obrutos accipimus? omniū uulnera in pectore, quidā hostibus suis immortui, omniū in manibus enses, & relictę in uultibus minę, & in ipsa morte ira uiuebat. Quod adeo Pyrrhus miratus est, ut diceret: O q̄ facile erat orbis imperiū occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis. Quæ autē eorum qui superfuerunt in reparando exercitu festinatio? quū Pyrrhus, uideo me, inquit, planè Herculis sydere procreatū, cui quasi ab angue Lernæo tot cæsa hostium capita de sanguine suo renascuntur. Qui autē ille senatus fuit? quū perorante Appio Cæco pulsi cum muneribus suis ab urbe legati: Interrogati à rege suo, quid de hostiū sede sentirent: Vrbem templum sibi uisum, senatum regnum esse confiterentur. Quales porrò ipsi duces uel in castris? quum medicum uenale regis Pyrrhi caput afferentē Curius remisit: Fabricius oblatā sibi à rege imperij partē, repudiauit. Vel in pace? quū Curius fictilia sua Samnitico præferret auro: Fabricius decē pondo argenti, circa Ruffinum cōsularem uirum, quasi luxuriam censoria grauitate damnaret. Quis ergo miretur his moribus, uirtute militum, uictorem P.R. fuisse? unoq; bello Tarentino intra quadrienniū maximā partem Italiæ, fortissimas gentes, opulentissimas urbes, uberrimasq; regiones in deditionē redegisse? Aut quid adeo fidē superet? quoniā si principia belli cum exitu conferantur, uictor primo prælio Pyrrhus totam trementē Italiam, Campaniā, Lyrim, Fregellasq; populatus, propè captā urbē à Prænestina arce prospexit, & à uigesimo lapide oculos trepidæ ciuitatis fumo, ac puluere impleuit. Eodem postea bis exuto castris, bis saucio, & in Græciā suam trans mare, ac terras fugato, pax, & quies, & tanta adeo de opulentissimis tot gentibus spolia, ut uictoriā suam Roma nō caperet. Nec enim ullus pulchrior in urbē, aut speciosior triumphus intrauit, quū ante hunc diē nihil nisi pecora Volscorū, greges Sabinorum, carpenta Gallorū, fracta Samnitum arma uidisset. Tum si captiuos aspiceres, Molossi, Thessali, Macedones, Brutius, Apulus, atq; Lucanus. Si pompas, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæq; delitiæ. Sed nihil libentius P.R. aspexit, quàm illas, quas timuerat, cum turribus suis bel-

luas

ſuas, quæ non ſine ſenſu captiuitatis ſummiſſis ceruicibus, uictores equos ſequebantur.

BELLVM PICENTE. CAPVT XIX.

OMnis mox Italia pacem habuit. Quid enim poſt Tarentum auderet? niſi quod ultro perſequi ſocios hoſtium placuit. Domiti hinc Picentes, ſed caput gentis Aſculum Sempronio duce, qui tremẽte inter præliũ campo Tellurem deam, promiſſa æde placauit. *Tellus dea.*

BELLVM SALENTINVM. CAP. XX.

SAlentini Picentibus additi, caputq́ regionis Brunduſium inclyto portu, M. Attilio duce. Et in hoc certamine uictoriæ precium templum ſibi paſtoria Pales ultro popoſcit. *Pales dea.*

BELLVM VOLSINENSE. CAPVT XXI.

POſtremi Italicorum in fide manſere Volſini opulentiſſimi Ethruſcorũ, implorantes opem aduerſus ſeruos quondam ſuos, qui libertatem à dominis datam, in ipſos erexerãt, translataq́ in ſe Repub. dominabantur. Sed hi quoq́ duce Fabio Gurgite, pœnas dederunt.

DE SEDITIONIBVS. CAPVT XXII.

HÆc eſt ſecunda ætas P. R. & quaſi adoleſcentia, qua maxime uiruit, & quodam flore uirtutis exarſit, ac fremuit. Itaq́ quædã adhuc ex paſtoribus feritas quiddam ſpirabat indomitum. Inde eſt quod exercitus Poſthumium Imperatorem, inficiantem quas promiſerat prædas, facta in caſtris ſeditione lapidauit. Quod ſub Appio Claudio noluit uincere hoſtem, quum poſſet. Quod duce Valerone detrectantibus pleriſq́ militiam, fracti cõſulis faſces. Inde quod clariſſimos principes, quod aduerſarent uoluntati ſuæ, exulatione mulctauit. Vt Coriolanum colere agros iubentem: nec minus ille ferociter iniuriam armis uindicaſſet, niſi quod iam inferentem ſigna filium, mater Veturia, lachrymis ſuis exarmauit. Vt ipſum Camillum, quod inique inter plebem & exercitum diuiſiſſe Veientem prædam uideretur. Sed hic melior obſeſſis in capta urbe conſuluit: & mox ſupplices de hoſte Gallo uindicauit. Cum ſenatu quoque de æquo, bonoq́ certatum eſt: adeo ut relictis ſedibus ſolitudinem, & interitum patriæ ſuæ minarentur. *Poſthumius lapidatus eſt.*

PRIMA VRBIS DISCORDIA. CAP. XXIII.

PRima diſcordia ob impotentiam fœneratorum, quibus in terga quoque ſeruiliter ſæuientibus, in Sacrum montem plebs armata ſeceſſit, ægreq́, nec niſi tribunos impetraſſet, Menenij Agrippæ, facundi & ſapientis uiri autoritate reuocata eſt. Extat orationis antiquæ ſatis efficax ad concordiam fabula, qua diſſenſiſſe inter ſe quondã humanos artus dicitur, quod omnibus opere fungentibus ſolus uenter immunis ageret, deinde moribundos à ſeiunctione rediſſe in gratiam, quando ſenſiſſent, quod eius opera redactis in ſanguinem cibis irrigarentur. *Menenius Agrippa.*

SECVNDA VRBIS DISCORDIA.
CAPVT XXIIII.

Decemuiri. SEcundam in urbe decemuiratus libido conflauit. Allatas à Græcia leges decem principes lecti iubente populo conſcripſerant, ordinataq; erat in XII. tabulæ. duodecim tabulis tota iuſtitia: quum tamen traditos faſces regio quodam Ap. Claudius. furore retinebant. Ante cæteros Appius Claudius eò inſolentiæ elatus eſt, ut ingenuam uirginem ſtupro deſtinaret, oblitus & Lucretiæ, & regum, & iuris, quod ipſe compoſuerat. Itaq; quum oppreſſam iudicio filiam trahi in ſeruitutē uideret Virginius pater, nihil cunctatus in medio foro manu ſua interfecit, admotisq; ſignis cōmilitonum, totam eam dominationem obſeſſam armis, in carcerem & catenas ab Auentino monte detraxit.

TERTIA VRBIS DISCORDIA.
CAPVT XXV.

TErtiam ſeditionem excitauit matrimoniorum indignitas, ut plebei cum patricijs iungerentur, qui tumultus in monte Ianiculo duce Canuleio Tribunoplebis, exarſit.

QVARTA VRBIS DISCORDIA.
CAPVT XXVI.

QVartam honorum cupido, ut plebei quoque magiſtratus crearentur. Fabius Ambuſtus duarum pater, alteram Sulpitio patricij ſanguinis dederat, alteram plebeio Stoloni. Hæc quodam tempore, quod lictoriæ uirgæ ſonum ignotum penatibus ſuis expauerat, à ſorore ſatis inſolenter irriſa iniuriam non tulit. Itaq; nactus tribunatum honorum & magiſtratuū conſortium, quamuis inuito ſenatui extorſit. Verū in his ipſis ſeditionibus, principem populum non immerito ſuſpexeris. Siquidem nunc libertatem, nunc pudicitiam, tum natalium dignitatem, honorum decora, & inſignia uindicauit. Inter omnia hæc nullius acrior cuſtos, quàm libertatis fuit. Nulláque in precium eius potuit largitione corrumpi, quū ut in magno, & in dies maiore populo interim pernicioſi ciues exiſterēt. Sp. Caſſium agraria lege, Melium largitione ſuſpectum regiæ dominationis, præſenti morte mulctauit. Ac de Spurio quidem ſupplicium pater ipſius ſumpſit. Hūc Quintij dictatoris imperio in medio foro magiſter equitum Seruilius Hala confodit. Manliū uero Capitolij uindicem, quia pleroſq; debitorum liberauerat, altius ſe & inciuilius efferentē, ab illa, quam defenderat, arce deiecit. Talis domi ac foris, talis pace belloq; populus Romanus fretum illud adoleſcentiæ, id eſt, ſecundam imperij ætatem habuit, in qua totam inter Alpes fretumq; Italiam armis ſubegit.

LVCII FLORI EPITOMES LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

DOMITA ſubactaq; Italia, P.R. propè quingenteſimum annum agens, quū bona fide adoleuiſſet, ſi quod eſt robur, ſi qua iuuentas, tum ille uere robuſtus & iuuenis, & par orbi terrarū eſſe cœpit. Itaque mirū & incredibile dictu, qui propè quingentis annis domi luctatus eſt (adeo difficile fuerat dare Italiæ caput) his CC. annis qui ſequuntur, Africā, Europam, Aſiam, totum denique orbem terrarum bellis, uictorijsq; peragrauit.

PRIMVM BELLVM PVNICVM. CAP. II.

IGitur uictor Italiæ populus, quum à terra fretū uſq; ueniſſet, more ignis, qui obuias populatus incēdio ſyluas, interueniente flumine abrumpitur, paulisper ſubſtitit. Mox quum uideret opulentiſſimā in proximo prædam, quodam modo Italiæ ſuæ abſciſſam, & quaſi reuulſam, adeo cupiditate eius exarſit, ut quatenus nec mari iungi, nec pontibus poſſet, armis belloq; iungenda, & ad continentem ſuam reuocanda bello uideretur. Sed ecce ultro ipſis uiam pandentibus fatis, nec occaſio defuit, quum de Pœnorū impotentia, fœderata Siciliæ ciuitas Meſſana quereretur. Affectabat enim ut Romanus, ita Pœnus Siciliā, & eodem tempore paribus uterq; uotis ac uiribus imperium orbis agitabat. *Sicilia.* Igitur ſpecie quidem ſocios iuuandi, re autem ſolicitante præda (quanquam territaret nouitas rei, tanta tamen in uirtute fiducia eſt) ille rudis, ille paſtorius populus, uereq; terreſtris oſtendit nihil intereſſe uirtutis, equis an nauibus, terra an mari dimicaretur. Appio Claudio conſule primum fretum ingreſſus eſt, fabuloſis infame monſtris, æſtuq; uiolentum: ſed adeo non eſt exterritus, ut ipſam illam ruentis æſtus uiolentiam pro munere amplecteretur, ſtatimq; ac ſine mora Hieronem Syracuſanū regē tanta celeritate uicit, ut ipſe ille ſe prius uictum quàm hoſtē uideret fateretur. *Hiero uincitur.* Duillio Cornelioq; conſulibus, etiā mari cōgredi auſus eſt. Tum quidē ipſa uelocitas claſſis comparatę, uictorię auſpiciū fuit. Intra enim ſexageſimū diē, quàm cæſa ſylua fuerat, CLX. nauium claſſis in ancoris ſtetit, ut non arte factæ, ſed quodam munere deorū conuerſæ in naues, atq; mutatæ arbores uiderentur. Prælij uero fama mirabilis, quum illas celeres uolucresq; hoſtium naues, hæ graues, tardæq; comprehenderēt. Longe illis nauticæ artes detorquere remos, & ludificari fuga roſtra. Iniectæ em̄ ferreæ manus, machinæq; aliæ, ante certamen multum ab hoſte deriſæ, coactiq; hoſtes quaſi in ſolido decernere. Victor ergo apud Liparas, merſa & fugata hoſtium claſſe, primū

illum maritimum egit triumphum. Cuius quod gaudium fuit? quũ Duillius Imperator non contentus unius diei triumpho, per uitam omnem ubi à cœna rediret, prælucere funalia, præcinere ſibi tibias iuſſit, quaſi quotidie triumpharet. Pro tanta uictoria leue huius prælij damnum fuit. Alter conſulũ interceptus Gneus Cornelius Aſina, qui ſimulato colloquio euocatus atq; oppreſſus fuit, perfidiæ Punicæ documentum. Calatino dictatore, ferè omnia præſidia Pœnorũ Agrigento, Drepano, Panormo, Eryce, Lilybæo detraxit. Trepidatum eſt ſemel circa Camerinenſium ſaltum, ſed eximia uirtute Calfurnij Flammæ tribuni militum euaſimus, qui lecta C C C. manu infeſtum & inſeſſum ab hoſtibus tumulum occupauit, adeoq; moratus hoſtes, dum exercitus omnis euaderet, ac ſic pulcherrimo exitu, Termopylarum & Leonidæ famam adæquauit. Hoc illuſtrior noſter, quod expeditioni tantæ ſuperfuit, & ſuperuixit, licet nihil ſcripſerit ſanguine. Lutio Cornelio Scipione, quum iam Sicilia ſuburbana eſſet populi Ro. prouincia, ſerpente latius bello in Sardiniam, annexamq; ei Corſicam tranſit, ubi & hic Caralæ urbis excidio incolas terruit, adeoq; omneis terra mariq; Pœnos expugnauit, ut iam uictoriæ nihil niſi Africa ipſa reſtaret. M. Attilio Regulo duce iam in Africam nauigabat bellum. Nec deerant qui ipſo Punici maris nomine, ac terrore deficerent, augente inſuper Tribuno Mannio metũ, in quem niſi paruiſſet, ſecuri diſtricta Imperator, metu mortis nauigandi fecit audaciam: mox uentis remiſq; properatũ eſt, tantuſq; terror hoſtici aduentus Pœnis fuit, ut apertis penè portis Carthago caperetur. Belli prima præmium fuit ciuitas Clypea. Prima enim à Punico littore quaſi arx & ſpecula procurrit, & hæc & C C C. amplius caſtella uaſtata ſunt. Nec cum hominibus modo, ſed cum monſtris quoq; dimicatum eſt, quum quaſi in uindictam Africæ, nata

Serpens apud Bragadam.

miræ magnitudinis ſerpens, poſita apud Bragadam caſtra uexaret. Sed omnium uictor Regulus quum terrorẽ nominis ſui late circumtuliſſet, quumq; magnam uim iuuentutis, ducesq; ipſos aut cepiſſet aut haberet in uinculis, claſſemq; ingenti præda onuſtam & triumpho grauẽ in urbẽ præmiſiſſet, etiam ipſam caput belli Carthaginẽ urgebat obſidione, ipſiſq; portis inhærebat. Hic paulum circumacta fortuna eſt, tantum ut plura deeſſent Romanæ urbis inſignia, cuius ferè magnitudo calamitatibus approbatur. Nã conuerſis ad externa auxilia hoſtibus, quum Xantippum illis ducem Lacedæmon miſiſſet, à uiro militię peritiſſimo uincimur, cũ fœda clade, Romaniſq;

Regulus.

uſu incognita. Viuus in manus hoſtiũ uenit fortiſſimus Imperator. Sed ille quidem par tantæ calamitati fuit. Nam nec Punico carcere fractus eſt, nec legatione ſuſcepta. Quippe diuerſa quàm hoſtes mandauerant cenſuit, ne pax fieret, ne cõmutatio captiuorum reciperetur. Sed nec illo uoluntario ad hoſtes ſuos reditu, nec ultimo ſiue carceris ſeu crucis ſupplicio deformata maieſtas. Imò his omnibus admirabilior, qd aliud quàm uictus de uictoribus,

quia

quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphauit. Populus autem Ro. multo acrior, infestiorq́ pro ultione Reguli, quàm pro uictoria fuit. Metello igitur consule spirantibus altius Pœnis, & reuerso in Siciliam bello, apud Panormum sic hostes cecidit, ut ne amplius ea in insula concitaretur. Argumentum ingentis uictoriæ, centum circiter elephantorũ captiuitas. Sic quoq́ magna præda, si gregem illam non bello, sed uenatione cepisset. P. Claudio consule non ab hostib. sed à dijs ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat, ibi statim classe demersa, ubi ille præcipitari pullos iusserat, quod pugnare ab his uetaret. M. Fabio Buteone consule, classẽ hostiũ in Africo mari apud Egimurum iam in Italiam ultro nauigantẽ cecidit. Quamuis Octauio triumphus tempestate intercidit, quum opulenta præda classis aduersis acta uentis naufragio suo Africam & Syrtes, omniũ imperia gentium, insularũ littora impleuit. Magna clades, sed nõ sine aliqua principis populi dignitate intercepta tempestate uictoria, & triumphum perijsse naufragio. Et tamen quum Punicæ prædæ amnibus insulisq́ fluitarẽt, P. R. triumphauit Luctatio Catulo cõsule: tandem bello finis impositus apud insulas, quibus nomen Ægates: nec maior alia in mari pugna, quippe cõmeatibus, exercitu, propugnaculis, armis, grauis hostium classis, & in eis quasi tota Carthago, quod ipsum exitio fuit. Romana classis prompta, leuis, expedita, & quodã genere castrensis, ad similitudinẽ pugnæ equestris, sic remis quasi habenis agebat, & in hos uel in illos ictus mobilia rostra speciem uiuentiũ præferebãt. Itaq́ momẽto temporis laceratæ hostium rates totũ inter Siciliam Sardiniamq́ pelagus naufragio suo operuerunt. Tanta deniq́ fuit illa uictoria, ut de excidendis hostium mœnibus non quæreretur. Superuacuum uisum est in arcẽ murosq́ sæuire, quum iam in mari esset deleta Carthago.

BELLVM LIGVSTICVM. CAPVT III.

PEracto Punico bello, sequuta est breuis sane, & quasi ad recipiendum spiritum requies, argumentumq́ pacis, & bona fide cessantium armorum. Tunc primum post Numam clausa fuit porta Iani, sed statim, ac sine mora patuit. Quippe iam Ligures, iam Insubres Galli, necnõ & Illyrici lacessebãt. Sic de sub Alpibus, id est, de sub ipsis Italiæ faucibus gentes, deo quodam assidue incitante, ne rubiginem ac situm arma sentirent: deniq́ ita quotidiani & quasi domestici hostes tyrocinia militũ imbuebant, nec aliter utraq́ gente quasi cote quadam P. R. ferrum suæ uirtutis acuebat. Ligures imis Alpium iugis adhærentes, inter Varum & Macram flumen, implicitos dumis syluestribus, maior aliquanto labor erat inuenire quàm uincere. Tutũ locis & fuga, durum atq́ uelox genus, ex occasione magis latrocinia quàm bella faciebat. Itaq́ quũ diu multumq́ eluderẽt † Salij, Deceates, Oxybij, Euburiates, incognitas tandẽ Fuluius latebras eorũ ignibus sepsit, Bebius in plana deduxit, Posthumius ita exarmauit, ut uix reliquerit ferrũ, quo terra coleretur.

Ligures.

al. saltu, uijs, latebris. Alij, Maxubij.

BELLVM GALLICVM. CAPVT IIII.

GAllis Insubribus, & his accolis Alpium, animi ferarum, corpora plus q̃ humana erant. Sed experimēto deprehensum est: quippe sicut primus impetus eis maior quàm uirorum est, ita sequens minor quàm fœminarum. Alpina corpora humenti cœlo educata, habēt quiddam simile niuibus suis, quæ mox ut caluere pugna, statim in sudorem eunt, & leui motu, quasi sole laxantur. Hi sæpe & alias, sed Britomaro duce non prius soluturos se baltea, quàm Capitolium ascendissent, iurauerant. Factum est. Victos enim Æmilius in Capitolio discinxit. Mox† Astrionico duce uouere de nostrorum militum præda Marti suo torquem. Intercepit Iupiter uotū: nam de torquibus eorum aureum trophæū Ioui Flaminius erexit. Viridomaro rege Romana arma Vulcano promiserant: aliorsum uota ceciderūt. Occiso enim rege Marcellus tertia post Romulum patrē Feretrio Ioui arma suspendit.

al. Ariobistone.

BELLVM ILLYRICVM. CAPVT V.

ILlyrij seu Liburni sub extremis alpium radicibus agunt, inter Arsiam Tytiumq; flumen, longissime per totum Adriatici maris littus effusi. Hi regnante Teuca muliere populationibus nō contenti, licētiæ scelus addiderūt. Legatos quippe nostros, ob ea quæ deliquerant iure agentes, nec gladio quidem, sed ut uictimas securi percutiūt, præfectos nauiū igne comburunt, idq; quo indignius foret, mulier imperabat. Itaque Cn. Fuluio Centimalo duce, late domant̃. Strictæ in principū colla secures, legatorū manibus litauere.

BELLVM PVNICVM SECVNDVM. CAP. VI.

POst primum Punicum bellum uix quadriennis requies. Ecce alterū bellum minus quidem spatio: nec enim amplius quàm XVIII. annos habet: sed adeo cladiū atrocitate terribilius, ut si quis conferat damna utriusque populi, similior uicto sit populus qui uicit. At pudebat nobilem populū, ablatum mare, raptæ insulæ, dare tributa quæ iubere consueuerat. Hinc in ultionem puer Hannibal ad aram patri iurauerat: nec remorabatur. Igit̃ in causa belli Saguntus deleta est, Hispaniæ ciuitas opulenta, fideiq; erga Romanos magnum quidem, sed triste monumentū, quam in libertate cōmuni fœdere exceptam Hannibal causas nouorū motuum quærens, & suis, & ipsorū manibus euertit, ut Italiam sibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderū Romanis religio est. Itaq; ad auditum sociæ ciuitatis obsidium, memores icti cum Pœnis quoq; fœderis, non statim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo quæri malunt. Interim iam nouem mensibus fessi fame, machinis, ferro & igne, uersa deniq; in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum, tum desuper se suosq; cum omnibus opibus suis ferro & igne corrumpunt. Huius tantæ cladis autor Hannibal poscitur. Tergiuersantibus Pœnis, dux legationis Romanorū: Quę, inquit, mora est? Fabius. In hoc ego sinu bellum affero & pacem, utrum eligitis? utrum placet sumite. Quumq; succlamatum esset,

Saguntus deleta.

essent,utrũ uellet daret. Bellũ igitur,inquit, accipite: & excusso in media curia
togæ gremio,nõ sine horrore,quasi planè sinu bellũ ferret,effudit.Similis exi
tus belli initio fuit. Nã quasi has inferias sibi Saguntinorũ ultimæ dirę in illo
publico parricidio incendioq; mandassent,ita manibus eorũ uastatione Ita-
liæ,captiuitate Africæ,ducũ & regũ,qui id gessere bellũ, exitio parentatũ est.
Igitur ubi semel se in Hispania mouit illa grauis & luctuosa Punici belli uis
atq; tempestas,destinatũq; Romanis iam diu fulmen, Saguntino igne con-
flauit,statim quodã impetu rapta,medias perfregit alpes, & in Italiã ab illis
fabulosæ altitudinis niuibus, uelut cœlo missa descendit: ac primi quidẽ im-
petus turbo,inter Padum & Ticinũ ualido statim fragore detonuit. Tũc Sci
pione duce fusus exercitus: saucius & ipse uenisset in hostiũ manus Impera-
tor,nisi protectũ patrem prętextatus admodũ filius,ab ipsa morte rapuisset.
Et hic erit Scipio,qui in exitiũ Africæ crescit,nomen ex malis eius habiturus.
Ticino Trebia succedit. Hic secũda belli Punici procella desæuit Sempronio
consule: tunc callidissimi hostes frigidũ & niualẽ nacti diem, quũ se ignibus
prius oleoq; fouissent, horribile dictu, homines à meridie & sole uenientes,
nostra nos hyeme uicerunt. Trasimenus lacus tertiũ fulmen Hannibalis,Im-
peratore Flaminio. Ibi quoq; ars noua Punicæ fraudis. Quippe nebula la-
cus,palustribusq; uirgultis tectus, equitum terga subito pugnantiũ inuasit.
Nec de dijs possumus queri. Imminentẽ temerario duci cladẽ prædixerant
insidentia signis agmina, & aquilæ prodire nolentes, & cõmissam aciem se-
quutus ingens terrę tremor: nisi illũ horrorẽ soli equitũ uirorumq; discursus,
& mota uehementius arma fecerint.Quartũ,id est penè ultimũ uulnus impe
rij,Cannæ ignobilis Apulię uicus,sed magnitudine cladis emersit,& XL. mi lium cæde parta nobilitas. *Cannæ.*
Ibi in exitium infelicis exercitus,dux,terra,cœlum,
dies,tota deniq; rerũ natura consensit. Siquidẽ nõ contentus simulatis trans-
fugis Hannibal, qui mox terga pugnantiũ ceciderant: insuper callidissimus
Imperator,patentibus in cãpis obseruato loci ingenio, quod & sol ibi acerri-
mus,& plurimus puluis, & Eurus ab Oriente semper quasi ad constitutũ,ita
instruxit aciẽ, ut Romanis aduersus hæc omnia aduersis,quasi † secũ cœlum *al. secundũ.*
tenens,uento,puluere,sole,pugnaret.Itaq; duo maximi exercitus cæsi,ad ho
stiũ satietatẽ,donec Hannibal diceret militi suo,Parce ferro.Ducũ effugit al-
ter,alter occisus est:dubiũ uter maiore animo. Paulũ puduit, Varro non de-
sperauit. Documenta cladis:cruentus aliquandiu Aufidus. Pons de cadaue-
ribus iussu ducis factus in terrorẽ Vergelij.Modij duo annulorũ Carthagi- *Vetus lectio*
nem missi,dignitasq; equestris taxata mensura. Dubiũ deinde nõ erat,quin *habet, in tor*
ultimũ illũ diẽ habitura fuerit Roma,quintumq; intra diẽ epulari Hannibal *rente Ver-*
in Capitolio potuerit,si(quod Pœnum illũ dixisse Maharbalẽ Bomilcaris fe *gello.*
runt)Hannibal quemadmodũ sciret uincere,sic uti uictoria scisset. Tum qui-
dem illũ(ut dici uulgo solet)aut fatũ urbis imperaturæ,aut ipsius mens mala,

 & auersi

& auersi à Carthagine dij, in diuersum abstulerunt, quũ uictoria posset uti, frui maluit, relictaq́ Roma, Campaniam, Tarentumq́ peragrare, ubi mox & ipse & exercitus ardor elanguit, adeo ut uerum dictum sit, Capuam Hannibali Cannas fuisse. Siquidē inuictum Alpibus, indomitũ armis, Campaniæ, quis crederet, solæ, & tepentes fontibus Baiæ subegerunt. Interim respirare Romanus, & quasi ab inferis emergere. Arma nō erant, detracta sunt templis. Deerat iuuentus, in sacramentũ militiæ liberata seruitia. Egebāt ærario, opes suas libens senatus in mediũ protulit, nec præter quod in bullis, singulisq́ annulis erat, quicquā sibi auri reliquere. Eques sequutus exemplum, imitatęq́ equitem tribus, deniq́ uix suffecere tabulæ, uix scribarũ manus, Leuino, Marcelloq́ consulibus, quum priuatæ opes in publicũ deferrent. Quid autē in eligendis magistratibus, quæ centuriarũ sapientia? quũ iuniores à senioribus consilium de creandis consulibus petiuere. Quippe aduersus hostē toties uictorē, tā callidũ, nō uirtute tantũ, sed suis etiā pugnare consilijs oportebat. Prima redeuntis, &, ut sic dixerim, reuiuiscentis imperij spes Fabius fuit, qui nouā de Hannibale uictoriā cōmentus est, non uelle pugnare. Hinc illi cognomen nouũ, & Reip. salutare, cunctator. Hinc illud ex populo, ut imperij scutũ uocaret. Itaq́ per Samniũ totũ, per Falernos Gauranosq́ saltus sic macerauit Hannibalē, ut qui frangi uirtute nō poterat, mora cōminueret. Inde Claudio Marcello duce etiā congredi ausus est, cominus uenit, & pepulit, & Campania sua, & ab obsidione Nolæ urbis excussit. Ausus & Sempronio Gracco duce, per Lucaniā sequi, & premere terga cedentis, quāuis tũc (ô pudor) manu seruili pugnaret. Nā hucusq́ tot mala cōpulerant, sed libertati donati, fecerant de seruitute Romanos. O horribilē in tot aduersis fiduciā, ô singularē animum ac spiritum populi Romani, tam arctis, afflictisq́ rebus, quum de Italia sua dubitaret, ausus est tamen in diuersa respicere, dumq́ hostes in iugulo per Campaniā, Apuliamq́ uolitarent, mediamq́ iam de Italia Africam facerent, eodē tempore & hunc sustinebat, & in Siciliā, Sardiniā, Hispaniā diuisa per terrarũ orbē arma mittebat. Sicilia mandata Marcello, nec diu restitit. Tota enim insula in una urbe superata est, grande illud, & ante id tempus inuictũ caput Syracusæ, quāuis Archimedis ingenio defenderent, aliquando cesserunt. Longe illi triplex murus, totidēq́ arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethusę, nisi quod hactenus profuere, ut pulchritudini uictæ urbis parceret. Sardiniā Graccus arripuit, nihil illi gentiũ feritas, insanorũq́ (nam sic uocantur) immanitas montiũ profuere. Sæuitũ in urbes, urbemq́ urbiũ Caralim, ut gens contumax uilisq́ mortis, saltē desiderio patrij soli domaretur. In Hispaniam missi Gneus & Publius Scipiones, spem totā Pœnis eripuerant, sed insidijs Punicæ fraudis oppressi rursus amiserant. Magnis quidem illi prælijs quũ Punicas opes cecidissent, sed Punicæ insidiæ alterũ ferro castrametantē, alterum quũ euasisset in turrim, cinctum facibus

Alij, perrexit

Fabius cunctator.

Syracusæ.

Archimedes.

facibus oppresserunt. Igitur in ultionem patris ac patrui missus cum exercitu Scipio, cui tam grande de Africa nomen fata decreuerant, bellatricem illam, uiris armisq; nobilem Hispaniam, illam seminariam hostilis exercitus, illam Hannibalis eruditricem (incredibile dictu) totam à Pyrenæis montibus, in Herculis columnas, & oceanũ recuperauit, nescias citius, an facilius: quàm uelociter, quatuor anni fatent: quàm facile, uel una ciuitas probat: eodẽ quippe quo obsessa est die, capta est, omenq; Africanæ uictoriç fuit, quod tam facile capta est Hispanica Carthago. Certum est tamen ad profligandam prouinciam maxime profecisse singularem ducis sanctitatem: quippe qui captiuos pueros, puellasq; præcipuæ pulchritudinis barbaris restituerit, ne in conspectum quidem suum passus adduci, ne quid de uirginitatis integritate delibasse saltem uel oculis uideretur. Hæc inter diuersa terrarũ populus Romanus, nec ideo tamen Italiæ uisceribus inhærentem summouere poterat Hannibalem Carthaginensem. Pleraq; ad hostem defecerant, & dux acerrimus contra Romanos Italicis quoque uiribus utebatur. Iam tamen eum plerisq; oppidis & regionibus excusseramus. Tarentinus ad nos redierat. Iam & Capua sedes, & domus, & patria altera Hannibalis tenebatur: cuius amissio tantum Pœno duci dolorẽ dedit, ut inde totis uiribus in Romam conuerteret. O populum dignum orbis imperio, dignum omnium fauore & administratione hominum ac deorum. Compulsus ad ultimos metus, ab incœpto non destitit, & de sua urbe solicitus, Capuam tamen non omisit, sed parte exercitus sub Appio consule relicta, parte Flaccum in urbem sequuta, absens simul præsensq; pugnabat. Quid ergo miramur? Mouenti castra à tertio lapide Hannibali iterum ipsos deos, deos inquam (nec fateri pudebit) restitisse: tãta enim ad singulos illius motus uis imbrium effusa est, tanta uentorum uiolentia coorta, ut diuinitus hostem summoueri, non à cœlo, sed ab urbis ipsius mœnibus, & capitolio uideretur. Itaque fugit, & cessit, & in ultimum se Italiæ recipit sinum, quum urbem tantum non adortam reliquisset. Parua res dictu, sed ad magnanimitatẽ pop. Romani probandam satis efficax, quod illis ipsis, quibus obsidebatur diebus ager, quem Hannibal castris insiderat, uenalis Romæ fuit, hastæq; subiectus inuenit emptorem. Voluit Hannibal contrà fiduciam imitari, subiecitq; argentarias urbis tabernas, nec emptor inuentus est, ut scias etiam præsagia fatis fuisse. Nihil actum erat tanta uirtute, sine tanto fauore deorum. Siquidẽ ab Hispania Hasdrubal frater Hannibalis cum exercitu nouo, nouis uiribus, noua belli mole ueniebat. Actum erat proculdubio, si uir ille se cum fratre iunxisset: sed hunc quoque castrametantem, Claudius Nero cum Liuio Salinatore debellat. Nero in ultimo Italiæ angulo summouebat Hannibalem. Liuius in diuersissimam partem, & in ipsas nascentis Italiæ fauces signa conuerterat, tanto, qua omnis longissima Italia, solo interiacet. Quo consilio, qua celeritate consules castra coniun-

Hispania.

Scipionis sanctitas.

Hasdrubal.

xerint, inopinanterq́ hostem collatis signis compresserint, neque id fieri Hannibal senserit, difficile dictu est. Certe Hannibal re cognita, quum proiectum fratris caput ad sua castra uidisset, Agnosco, inquit, infelicitatem Carthaginis. Hæc fuit illius uiri non sine præsagio quodam fati imminentis prima confessio. Iam certū erat Hannibalē etiam ipsius confessione posse uinci: sed tot rerum prosperarum fiducia plenus populus Romanus, magni existimabat asperrimum hostem in sua Africa debellare. Duce igitur Scipione in ipsam Africam tota mole conuersus, imitari cœpit Hannibalem, & Italiæ suę clades in Africa uindicare. Quas ille (dij boni) Hasdrubalis copias, quos Syphacis exercitus fudit? Quæ, quantaq́ utriusq́ castra facibus illatis una nocte deleuit? Deniq́ iam non à tertio lapide, sed ipsas Carthaginis portas obsidione quatiebat: sic factum est, ut inhærentē atq́ incubantem Italiæ extorqueret Hannibalem. Non fuit maior sub imperio Romano dies quàm ille, quum duo omnium, & antea & postea ducum maximi, ille Italiæ, hic Hispaniæ uictor, collatis cominus signis direxere aciē. Sed & colloquium fuit inter ipsos de legibus pacis. Steterunt diu mutua admiratione defixi: ubi de pace non conuenit, signa cecinere. Constat utriusq́ confessione, nec melius instrui aciem, nec acrius potuisse pugnari: hoc Scipio de Hannibalis, Hannibal de Scipionis exercitu prædicauerunt. Sed tamen Hannibal cessit, præmiumq́ uictoriæ Africa fuit, & sequutus Africam terrarum orbis.

BELLVM MACEDONICVM PRIMVM. CAP. VII.

POst Carthaginem uinci neminē puduit. Sequutæ sunt statim Africam gentes, Macedonia, Græcia, Syria, cæteraq́ omnia, quodam quasi æstu & torrente fortunæ. Sic primi omnium Macedones, affectator quondam imperij populus. Itaq́ quamuis tunc Philippus regno præsideret, Romani tamen dimicare sibi cum rege Alexandro uidebantur. Macedonicum bellum nomine amplius quàm spectatione gentis fuit. Causa cœpit à fœdere Philippi, quo rex iam pridem dominantem in Italia Hannibalem sibi sociauerat: postea creuit, implorantibus Athenis auxilium contra regis iniurias, quū ille ultra ius uictoriæ, in templa, aras & sepulchra ipsa sæuiret. Placuit senatui opem tantis ferre supplicibus. Quippe iam gentium reges, duces, populi, nationes, præsidia sibi ab hac urbe petebant. Primo igitur Leuino consule populus Romanus Ionium mare ingressus, tota Græciæ littora ueluti triumphanti classe peragrauit. Spolia quippe Siciliæ, Hispaniæ, Sardiniæ, Africæ præferebat. Et manifestam uictoriam, nata in prætoria puppe laurus pollicebatur. Aderat sponte in auxilium Attalus rex Pergamorum. Aderant Rhodij nauticus populus, quibus à mari consul, à terris omnia equis uirisq́ quatiebat. Bis uictus rex, bis fugatus, bis exutus castris, quū tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipso uulnerum aspectu, quæ non spiculis, neque sagittis, nec ullo Græculo ferro, sed ingentibus pilis, nec minoribus adacta

Attalus. *Rhodij.*

gladijs

gladijs ultra mortē patebant. Enimuero Flaminio duce inuios antea Chaonum montes, Pindumq́ amnem per abrupta uadentē, & ipsa Macedoniæ claustra penetrauimus. Introisse uictoriæ fuit. Nam postea nunquam ausus congredi rex ad tumulos, quos Cynocephalas uocant, uno ac ne hoc quidē iusto prælio opprimitur, & illi quidē consul pacē dedit, regnumq́ concessit: mox ne qd esset hostile, Thebas, & Eubœam, & grassantē sub Nabide suo Lacedæmona compescuit. Græciæ uero ueterē statū reddidit, ut legibus uiueret suis, & auita libertate frueretur. Quæ gaudia? quæ uociferationes fuerūt? Quum hoc forte Nemeæ in Theatro, Quinquennalibus ludis à præcone caneretur, quo certauere plausu? quid florum in consulē profuderunt? Et iterū, iterumq́ præconē repetere illam uocem iubebant, qua libertas Achaiæ pronunciabatur, nec aliter illa consulari sententia, quàm modulatissimo aliquo tibiarum aut fidium cantu fruebantur.

BELLVM SYRIACVM REGIS ANTIOCHI CAP. VIII.

MAcedoniam statim, & regem Philippum Antiochus excepit quodam casu, quasi industria sic gubernāte fortuna, ut quemadmodū ab Africa in Europā, sic ab Europa in Asiam ultro se suggerētibus causis, imperiū procederet, & cum terrarum orbis situ ipse ordo uictoriarum nauigaret. Non aliud formidolosius fama bellū fuit. Quippe quum Persas, & Orientē, Xerxem, atq́ Darium cogitarent, quando perfossi inuij montes, quando uelis opertum mare nunciaretur, ut hos cœlestes minæ territabant, quū humore continuo Cumanus Apollo sudaret. Sed hic fauentis Asiæ suæ numinis timor erat. Sed nec sanè uiris, opibus, armisq́ quicquam copiosius Syria, sed in manibus tam ignaui regis inciderat, ut nihil fuerit in Antiocho speciosius, quàm quod à Romanis uictus est. Impulere regem in id bellū, illinc Thoas Etholiæ princeps, inhonoratam apud Romanos quęrens aduersus Macedones militiæ suæ societatem: hinc Hannibal, qui in Africa uictus, profugus, & pacis impatiens hostem populo Romano, toto orbe quærebat. Et quod illud fuisset periculum, si se consilijs eius rex tradidisset? si Asiæ uiribus usus fuisset miser Hannibal? Sed rex suis opibus, & nomine regio fretus satis habuit bellum mouere. Europa iam dubio procul iure ad Romanos pertinebat. Hic Lysimachiam urbem in littore Thracio positam à maioribus suis Antiochus ut hæreditario iure repetebat. Hoc uelut sydere Asiatici belli mota tempestas, & maximus regum conuentus, fortiter indicto bello quū ingenti strepitu, ac tumultu mouisset ex Asia, occupatis statim insulis, Græcisq́ littoribus, otia & luxus tanquam uictor agitabat, Eubœam insulam continenti adhærentem tenui freto, reciprocantibus aquis Euripus abscidit. Hic ille positis aureis, sericisq́ tentorijs, sub ipso freti murmure quū inter fluenta tibijs, fidibusq́ concineret, collatis undique, quamuis per hyemem rosis, ne cum aliquo ducum genere agere uideretur, uirginum puerorumq́

Antiochus.

Thoas.

delectus

delectus habebat. Talem ergo regem iam sua luxuria debellatum, populus Ro. Attilio Glabrione consule, in insula aggressus, ipso statim aduentus sui initio, coëgit ab insula fugere. Tam præcipitem apud Thermopylas assequutus locum, ccc. Laconum speciosa cæde memorandum, ne ibi quidem fiducia loci resistentem, mari ac terra cedere coëgit. Statim & e uestigio itur in Syriam. Classis regia Polixenidi, Hannibaliq; commissa. Nam rex præliū nec spectare poterat. Igitur duce Æmilio Regillo à remigantibus Rhodijs tota laceratur, ne sibi placeant Athenæ. In Antiocho uicimus Xerxem, in Æemilio† Alcibiadem æquauimus, Ephesijs Salamina pensauimus. Consule Scipione, cui frater ille modo uictor Carthaginis Africanus uoluntaria legatione aderat, debellari regem placet: & iam toto cesserat mari: sed nos imus ulterius. Meandrum ad amnem, montemq; Sypilum castra ponuntur. Hic rex incredibile dictu quibus auxilijs, quibus copijs consederat. Trecenta milia peditum, equitum falcatorumq; curruum nō minor numerus. Elephantis ad hoc immensæ magnitudinis auro, purpura, argento & suo ebore fulgētibus, aciem utriusq; uallauerat. Sed hæc omnia præpedita magnitudine sua. Ad hoc imbre, qui subito superfusis mira felicitate Persicos arcus corruperat. Primum trepidatio, mox fuga, dehinc triumphus fuerunt. Victo & supplici pacem atq; partē regni dari placuit, eo libentius quod tam facile cessisset.

† *Themistoclem.*

BELLVM ETHOLICVM. CAPVT IX.

SYriaco bello successit, ut debebat, Etholicum. Victo quippe Antiocho, Romanus faces Asiatici belli persequebat̃. Ergo Fuluio Nobiliori mandata ultio est. Hic protinus caput gentis Ambraciam, regiam Pyrrhi, machinis quatit. Sequuta deditio. Aderant Etholorum precibus Attici, Rhodij: & memineramus auxilij: sic placuit ignoscere. Serpit tamen latius in proximos bellum, omnemq; late Cephaleniam, Zacynton, & quicquid insularū in eo mari inter Ceraunios montes, iugūq; Maleū, Etholici belli accessio fuerūt.

BELLVM HISTRICVM. CAPVT X.

HIstri sequuntur Etholos. Quippe bellantes eos nuper adiuuerant, & initia pugnæ prospera hosti fuerūt, eademq; exitij causa. Nam quū Cnei Manlij castra cepissent, opimæq; prædæ incubarent, epulantes, ac ludibundos plerosq;, aut ubi essent præ poculis nescientes, Appius Pulcher inuadit: sic cum sanguine & spiritu male partam reuomuere uictoriā. Ipse rex Apulo equo impositus, quum subinde crapula & capitis errore lapsaret, captum sese uix & ægre postquam experrectus est, didicit.

BELLVM GALLOGRAECVM. CAP. XI.

GAllogræciam quoq; Syriaci belli ruina conuoluit: fuerant inter auxilia regis Antiochi. An fuisset cupidus triumphi Manlius, an eos inuisos simulauerit, dubiū certe: negatus est uictori triumphus, quia causam belli non approbauit senatus. Cæterū gens Gallogræcorū, sicut ipsum nomen inditio est, mixta

Gallogræci.

est,mixta & adulterata est:reliquiæ Gallorũ, quibus etiam Brenno duce uastauerant Græciam, mox Orientẽ sequuti, in media Asiæ parte etiã sedere. Itaq; ut frugum semina mutato solo degenerant, sic illa genuina feritas eorũ Asiatica amœnitate mollita est. Duobus itaque prælijs fusi fugatiq; sunt: quamuis sub aduentu hostis relictis sedibus, in altissimos se montes recepissent,quos Tolostobogi, Tectosagiq; iam insederant. Vtrinq; fundis sagittisq; acti,in perpetuam se pacem dediderũt. Sed alligati miraculo quodam fuere, quum catenas morsibus & ore tentassent, quum offocandas inuicem fauces præbuissent. Nã Orgiagontis regis uxor,à Centurione stuprũ passa, memorabili exemplo custodiam euasit: reuulsumq; militis caput ad maritum suum retulit.

BELLVM MACEDONICVM SECVNDVM. CAPVT XII.

QVum aliæ aliæq; gentes Syriaci belli sequuntur ruinam, Macedonia se rursus erexit:fortissimum populum memoria, & recordatio suæ nobilitatis agitabat,& successerat Philippo filius Perses, qui semel in perpetuũ uictam esse Macedoniam non putabat ex gentis dignitate: multo uehementius sub hoc Macedones quàm sub patre consurgunt. Quippe Thraces in uires suas traxerant. Atq; ita industria Macedonum, uiribus Thracum,disciplinam Macedonicam tentauere. Accessit his consilium ducis, qui situm regionum suarũ summo speculatus Hemo,positis per abrupta castris,ita Macedoniam suam armis ferroq; uallauerat,ut nõ reliquisse aditum, nisi à cœlo uenturis hostibus uideretur. Nam Martio Philippo consule,eam prouinciã ingressus populus Romanus, exploratis diligẽter accessibus per Astrudem paludem,per acerbos dubiosq; tumulos,illa quæ uolucribus quoq; uidebantor inuia, accessit,regemq; securũ,& nihil tale metuentẽ, subita belli eruptione terruit: cuius tanta trepidatio fuit, ut pecuniã omnẽ in mare iusserit mergi,ne periret:classem cremari, ne incenderetur. Paulo consule quum maiora & crebra essent imposita præsidia, per alias uias Macedonia depressa est: summa quidem arte & industria ducis,quum aliâs minatus,aliâs irrepsisset: cuius aduentus ipse eò terribilis regi fuit,ut interesse non auderet, sed gerẽda ducibus bella mandauerit. Absens ergo uictus,fugit in maria,insulamq; Samothracem fretus celebri religione, quasi templa & aræ possent defendere, quem nec montes sui,nec arma potuissent. Nemo regum diutius amissæ fortunæ conscientiam retinuit. Supplex quum scriberet ad Imperatorẽ,ab illo, quo confugerat templo,nomenq; epistolę notarat suum,regem addidit. Sed nec reuerentior captæ maiestatis alius Paulo fuit: quum in cõspectu uenisset hostis in templum recepit,& in cõuiuijs adhibuit, liberosq; admonuit suos, ut fortunam,cui tantum liceret,reuererentur. Inter pulcherrimos hunc quoq; populus Romanus de Macedonia duxit, atq; uidit triumphum. Quippe cu

ius spectaculo triduũ impleuerit: primus dies signa tabulasq;, sequens arma pecuniasq; transuexit, tertius captiuos, ipsumq; regem attonitum adhuc, tanquam subito malo stupentem. Sed multo prius gaudium uictoriæ populus Ro. quàm epistolis uictoris perceperat. Quippe eodẽ die quo uictus est Perses in Macedonia, Romæ cognitũ est. Duo iuuenes candidis equis apud Iuturnæ lacum, puluerem & cruorem abluebant: hij nunciauere Castorem & Pollucẽ fuisse, creditũ uulgo quod gemini fuissent: interfuisse bello, quod sanguine maderent: a Macedonia uenire, quod adhuc anhelarent.

BELLVM ILLYRICVM. CAPVT XIII.

MAcedonici belli contagio traxit Illyricos. Ipsi quidem ut Romanum à tergo distringerent, à Perse rege cõducti pecunia, militauere. Sine mora ab Anitio prætore subiguntur. Loscordã caput gentis delesse suffecit. Statim sequuta deditio est. Deniq; hoc bellum ante finitum est, quàm geri Romæ nunciaretur.

BELLVM MACEDONICVM TERTIVM. CAPVT XIIII.

QVodam fato, quasi ita conuenisset inter Pœnos & Macedonas, ut tertio quoq; uincerentur. Eodem tempore utriq; arma mouere. Sed prior iugũ excutit Macedo, aliquanto quàm ante grauior dum cõtemnitur. Causa belli propè erubescenda, quippe regnum pariter & bellum uir ultimæ sortis Andriscus inuaserat, dubium liber an seruus, mercenarius certe, sed quia uulgo Philippus, & similitudine Pseudophilippus uocabatur, regiam formam, regium nomen, animo quoq; regio impleuit. Igit' dum hæc ipsa contemnit populus Ro. Iuuentio prætore contentus, uirum nõ Macedonicis modo, sed Thraciæ quoq; auxilijs ingẽtibus ualidum, temere tentauit. Inuictus quoq;, non à ueris regibus, sed ab illo imaginario & scenico rege superatus. Sed consule Metello, amissum cum legione prætorem, plenissime ultus est. Nam & Macedoniã seruitute mulctauit, & ducẽ belli deditũ ab eo ad quem confugerat, Thraciæ Regulo, in urbem in cathenis reduxit, hoc quoq; illi in malis suis indulgente fortuna, ut de eo pop. Ro. quasi de rege uero triũpharet. *Andriscus.*

BELLVM PVNICVM TERTIVM. CAP. XV.

TErtium cum Africa bellum & tempore exiguum fuit (nam quadriennio patratum est) & in comparatione priorum, minimum labore. Non enim tam cum uiris, quàm cum ipsa urbe pugnatum est: sed plane maximo euentu, quippe eo tandem Carthago finita est. Atq; si quis trium temporũ momenta consideret, primo commissum est bellum, profligatum secundo, tertio uero confectum est. Sed huius causa belli, quod contra fœderis legem, aduersus Numidas quidem semel parasset classem & exercitũ, frequens aũt Masinissæ fines territaret. Sed huic bono socioq; regi fauebat. Quum bellũ sederet, de belli fine tractatum est. Cato inexpiabili odio delendã esse Carthaginem,

thaginem:& quum de alio consuleret, pronunciabat Scipio Nasica seruandam,ne metu ablato æmulæ urbis,luxuriari felicitas urbis inciperet. Mediũ senatus elegit,ut urbs tantum loco moueretur.Nihil enim speciosius uidebatur,quàm esse Carthaginẽ,quæ non timeretur.Igitur Manilio,Censorinoq́ consulibus, populus Romanus aggressus Carthaginem, spe pacis iniecta, traditã à uolentibus classem,sub ipso ore urbis incendit. Tum euocatis principibus,si salui esse uellent,ut migrarent finibus imperatũ.Quod pro rei atrocitate adeo mouit iras,ut extrema mallent. Comploratum igitur publice statim,& pari uoce clamatum est,ad arma:seditq́ sententia, quoquo modo rebellandum : non quia spes ulla iam superesset,sed quia patriam suã mallent hostium, quàm suis manibus euerti. Qui rebellantum fuerit furor, uel hinc intelligi potest,quod in usum nouæ classis tecta domusq́ resciderũt,& in armorum officinis aurum & argentũ pro ære ferroq́ conflatum est,in tormentorum uincula matronæ crines suos contulerunt. Mancino deinde consule, terra mariq́ feruebat obsidio. Operis portus nudatus, & primus,& sequens iam murus,quum tantum Byrsa,quod nomen arci fuit,quasi altera ciuitas resistebat. Quamuis profligato urbis excidio, tamen fatale Aphricæ nomen Scipionum uidebatur. Igitur in alium Scipionem conuersa Respub. finem belli reposcebat.Hũc Paulo Macedonico procreatum, Africani illius magni filius in decus gentis assumpserat, hoc scilicet fato, ut quam urbem concusserat auus,nepos euerteret.Sed quammaxime mortiferi esse morsus solét morientium bestiarum ,sic plus negocij fuit cum semiruta ciuitate Carthagine, quàm integra. Compulsis in unam arcem hostibus,portũ quoq́ maris Romanus obsederat.Illi alterum ibi portum ab alia urbis parte foderunt,nec ut fugerent, sed quia nemo illos nec euadere posse credebat, inde quasi enata subito classis erupit.Tũ interim iam diebus, iam noctibus, noua aliqua moles,noua machina,noua perditorum hominũ manus,quasi ex obruto incendio,subita de cineribus flamma prodibat. Deploratis nouissime rebus,XL. se milia uirorum dediderunt,quod minus credas,duce Hasdrubale.Quanto fortius fœmina, & uxor ducis?quæ comprehensis duobus liberis, à culmine se domus in medium misit incendium,imitata reginam, quæ Carthaginem condidit.Quanta urbs deleta sit,ut de cæteris taceam, uel ignium mora probari potest: quippe per continuos decem & septem dies uix potuit incendiũ extingui,quod domibus ac templis suis sponte hostes immiserant,ut quatenus urbs eripi Romanis non poterat triumphis,arderet.

BELLVM ACHAICVM. CAPVT XVI.

QVasi seculum illud euersionibus urbium curreret, ita Carthaginis ruinã,statim Corinthos excepit,Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Ionium & Ægeum quasi spectaculo exposita. Hæc,facinus indignũ, ante oppressa est, quàm in numero certorum hostium referretur. Critolaus

causa belli, qui libertate à Romanis data aduersus ipsos usus est. Legatos Romanos dubium an & manu, certe oratione uiolauit. Igitur Metello ordinanti, cui tum maxime Macedoniæ mandata est ultio, & hinc Achaicum bellum: ad primam Critolai manum, Metellus consul per patentis Elidis campos, toto cecidit Alphæo. Et uno prælio peractũ erat bellum, iam & urbem ipsam terrebat obsidio: sed fato rerum, quum Metellus dimicasset ad uictoriam, Mumius uenit. Hic alterius ducis dignitate exercitum sub ipsis Isthmi faucibus fudit, geminosq; portus sanguine infecit. Tandẽ ab incolis deserta ciuitas, direpta primum, deinde tuba præcinẽte deleta est. Quid signorum, quid uestium, quid'ue tabularũ raptum, incensum atq; proiectũ est? Quantas opes & abstulerit & cremauerit, hinc scias, quod quicquid Corinthij æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. Nam æris notam pre ciosiorẽ ipsa opulentissimæ urbis fecit iniuria, quia incẽdio perustis plurimis statuis atq; simulachris, æris, auri, argentiq; uenæ in cõmune fluxere.

Corinthia æra.

RES IN HISPANIA GESTAE. CAPVT XVII.

VT Carthaginem Corinthos, ita Corinthũ Numantia sequuta est. Nec deinde toto orbe quicquã tantum in armis fuit. Post illa duo clarissima urbium incẽdia, late atq; passim, nec per uices, sed simul pariter, quasi unum undiq; bellum fuit, prorsus† ut inde, quasi agitantibus uentis diffudisse quædam belli incendia toto orbe uideretur. Hispaniæ nunquam animus fuit aduersus nos uniuersæ consurgere, nunquam conferre uires suas libuit, neq; aut imperare, aut libertatem tueri suam publice. Alioquin ita undiq; mari, Pyrenæoq; uallata est, ut ingenio situs, ne adiri quidem potuerit. Sed antea à Romanis obsessa est, quàm seipsa cognosceret, & sola omnium prouinciarum uires suas, postquam uicta est, intellexit. In hac propè ducentos per annos dimicatum est, à primis Scipionibus in primum Cæsarem Augustum, nõ continue, nec cohærẽter, sed prout lacessierant. Nec cum Hispanis initio, sed cum Pœnis in Hispania. Inde contagio, & series, causaq; bellorum. Prima per Pyrenæum iugum signa Romana P. & Cn. Scipiones intulerũt, prælijsq; ingentibus Hannonem & Hasdrubalem fratrem Hannibalis ceciderunt, raptaq; erat impetu Hispania, nisi fortissimi uiri in ipsa sua uictoria oppressi Punica fraude cecidissent, terra mariq; uictores. Igitur quasi nouam integramq; prouinciam ultor patris & patrui Scipio ille mox Africanus, inuasit. Isq; statim capta Carthagine, & alijs urbibus non contentus Pœnos expulisse, stipendiariam nobis prouinciam fecit, omnem citra ultraq; Hiberum subiecit imperio. Primus Romanorum ducum uictor ad Gades & oceani oram peruenit. Plus etiam prouinciã retinere, quàm facere studuit. Itaq; per partes iam huc, iam illuc missi duces, qui ferocissimas, & ad id temporis Hiberas gentes adeo impatientes iugi, multo labore, nec incruentis certaminibus seruire docuerũt. Cato ille Censorinus, Celtiberos, id est, robur Hispaniæ, aliquot prælijs fregit.

al. utile.

Celtiberi.

lijs fregit. Gracchus pater ille Gracchorum, eosdem c.& l. urbium euersione mulctauit. Metellus ille, qui ex Macedonia cognomen meruerat, & Celtibericus fieri, quum & Contrebiam memorabili cepisset exemplo, & Versobrigis maiori gloria pepercit. Lucullus, Turdulos, atq; Vaceos, de quibus Scipio ille posterior singulari certamine, quũ à rege fuisset prouocatus, optima retulerat. Decius Brutus aliquando latius Gallecos, Lusitanosq;, omnis Galatiæ populos, formidatumq; militibus flumen Obliuionis, peragratoq; uictor oceani littore, non prius signa conuertit, quàm cadentem in maria solem, obrutumq; aquis ignem, non sine quodã sacrilegij metu & horrore deprehendit. Sed tota certaminum moles cum Lusitanis fuit & Numantinis, nec immerito, quippe solis gentium duces contigerunt. Fuisset & cum omnibus Celtiberis, nisi dux illius motus, initio belli oppressus esset, summæ uir astutiæ & audaciæ; si recessisset Salondicus, qui hastam argenteam quatiens *Salondicus* uelut cœlo missam, uaticinanti similis omnium in se mentes conuerterat. Sed quum pari temeritate sub nocte castra cõsulis adisset, iuxta tentoriũ ipsum, pilo uigilis exceptus est. Cæterum Lusitanos Viriatus erexit, uir calliditatis *Viriatus* acerrimæ, qui ex uenatore latro, ex latrone subito dux atq; Imperator, & si fortuna cessisset, Hispaniæ Romulus, non contentus libertatem suorum defendere, per quatuordecim annos omnia citra ultraq; Hiberum & Tagum igni ferroq; populatus, castra etiam prætorũ, & præsidum aggressus, Claudium Vnimanum penè ad internecionem exercitus cecidisset, insignia trabeis & fascibus nostris quæ ceperat, in montibus suis trophæa fixisset. Tandem eum Fabius Maximus consul oppresserat: sed à successore Seruilio uiolata uictoria est, quippe qui conficiendæ rei cupidus fractum ducem, & extrema deditionis agitantem, per fraudem & insidias, & domesticos percussores aggressus, hanc hosti gloriã dedit, ut uideret aliter uinci nõ potuisse.

BELLVM NVMANTINVM. CAPVT XVIII.

NVmantia, quantum Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior, *Numantia* ita uirtutis nomine & honore par omnibus, summumq; si uiros æstimes, Hispaniæ decus: quippe quæ sine muro, sine turribus, modice edito in tumulo apud flumen Durium situata, quatuor milibus Celtiberorum XL. milium exercitũ, per annos XIIII. sola substinuit: nec substinuit modo, sed sæuius aliquanto pertulit: pudendis fœderibus affecit. Nouissime quum inuictam esse constaret, opus quoque eo fuit, qui Carthaginem euerterat. Nõ temere, si fateri licet, ullius causa belli iniustior. Segidenses socios & consanguineos Romanorum manibus elapsos exceperant: habita pro eis deprecatio nihil ualuit, quum se ab omni bellorũ contagione remouerent, in legitimi fœderis precium iussi arma deponere. Hoc sic à barbaris acceptum, quasi manus abscinderentur. Itaque statim Megara uiro fortissimo duce ad arma conuersi, Pompeium prælio aggressi, fœdus tamen maluerunt, quum debellare

potuissent. Hostilium deinde Mancinum, hunc quoque assiduis cædibus ita subegerunt, ut ne oculos quidem aut uocem Numantini uiri quisquam sustineret, tamen cum hoc quoque fœdus maluere, contenti armorum manubijs, quum ad internecionem sæuire potuissent. Sed non minus Numantini, quàm Caudini illius fœderis flagrans ignominia ac pudore populus Romanus, dedecus quidem præsentis flagitij, deditione Mancini expiauit. Cæterum duce Scipione Carthaginis incendijs ad excidia urbium imbuto, tandem etiam in ultionẽ excanduit. Sed tunc acrius in castris, quàm in campo, nostro cum milite, quàm cum Numantino præliandum fuit. Quippe assiduis & iniustis, & seruilibus maxime operibus attriti, ferre plenius uallum, qui arma nescirent, luto inquinari, qui sanguine nollent iubebantur. Ad hoc scorta, & calones, sarcinæ nisi ad usum necessariæ amputantur. Tanti esse exercitum, quanti Imperatorem uere proditum est. Sic redacto in disciplinã milite, commissa acies, quodq; nemo uisurum se unquam sperauerat, factum est, ut fugientes Numantinos quisquam uideret. Dedere etiam sese uolebãt, si toleranda uiris imperarentur. Sed quum Scipio ueram uellet & sine exceptione uictoriam, eò necessitatum compulsi, primum, ut destinata morte in prælium ruerent, quum sese prius epulis, quasi inferijs impleuissent, carnis se-
Celia micrudæ, & Celiæ, sic uocant indigenæ ex frumento potionem. Intellectum ab Imperatore consilium, itaque non est permissa pugna morituris: quum fossa atq; lorica, quatuorq; castris circundatos fame premeret ab duce orantes prælium, ut tanquam uiros occideret. Sed ubi non impetrabant, placuit eruptio: sic conserta manu plurimi occisi, & quũ urgeret fames, aliquantisper inde uixere. Nouissime consilium fugę sedit, sed hoc quoq; eruptis equorum cingulis uxores ademere, summo scelere per amorem. Itaque etiam exitu deplorato in ultimam rabiem, furoremq; conuersi, postremo mori hoc genere destinarunt. Duces suos, seq;, patriamq; ferro, & ueneno, subiectoq; undiq; igne peremerũt. Macte esse fortissimam, & meo iudicio beatissimam in ipsis malis ciuitatem asseruit, quũ fide socios, populum orbis terrarum uiribus fultum, sua manu ætate tam longa sustinuit. Nouissime maximo duce oppressã ciuitas nullum de se gaudium hosti reliquit. Vnus enim uir Numantinus nõ fuit, qui in catenis duceretur: præda ut de pauperibus nulla: arma cremauerunt. Triumphus fuit tantum de nomine.

ANACEPHALEOSIS. CAPVT XIX.

HActenus populus Ro. pulcher, egregius, pius, sanctus atq; magnificus. Reliqua seculi ut grandia æque, ita uel magis turbida & fœda crescentibus cum ipsa magnitudine imperij uitijs. Adeo ut si quis hanc tertiam eius ætatem transmarinam, quam ducentorũ annorum fecimus diuidat, centum hos priores, quibus Africam, Macedoniam, Siciliam, Hispaniam domuit, aureos (sicut poëtæ canunt), iure, meritoq; fateatur: centum sequentes ferreos

planè

planè & cruentos, & si quid immanius. Quippe qui Iugurthinis, Cymbricis, Mithridaticis, Parthicis bellis, Gallicis atq; Germanicis, quibus cœlū ipsum gloria ascendit, Graccanas, Drusianasq; cædes, ad hæc seruilia bella miscuerunt: & ne quid turpitudini desit, gladiatoria denique, in se conuersis Marianis atque Syllanis, nouissime Pompei & Cæsaris manibus quasi per rabiē, & furorem, & nefas semetipse lacerauit. Quæ & si inuoluta inter se sunt omnia atq; confusa, tamen quo melius appareant, simul & ne scelera uirtutibus obstrepant, separatim proferentur. Priusquam cœpimus, iuxtà illa memorabimus, ut & pia cum exteris gentibus bella, & magnitudo crescentis indies imperij appareat. Tum ad illa ciuium scelera, turpesque & impias pugnas reuertemur.

BELLVM ASIATICVM. CAPVT XX.

VIcta ad occasum Hispania populus Ro. ad orientē pacem agebat, nec pacem modo, sed inusitata & incognita quadam felicitate, relictę regijs hæreditatibus opes, & tota insimul regna ueniebant. Attalus rex Pergamenorum regis Eumenis filius, socij quondam, cōmilitonisq; nostri, testamentum reliquit: Populus Ro. bonorum meorum hæres esto. In bonis regis hæc fuerunt. Adita igitur hæreditate, prouinciam populus Ro. nō quidem bello, nec armis, sed (quod est æquius) testamenti iure retinebat. Sed hanc, difficile dictu est, utrum facilius amiserit populus Romanus, an recuperauerit. Aristonicus regij sanguinis ferox iuuenis, urbes regibus parere cōsuetas partim facile sollicitat, paucas resistētes Mindum, Samon, Colophonem ui recepit. Crassi quoq; prætoris cæcidit exercitū, ipsum quoque cepit. Sed ille memor & familiæ & Romani nominis, custodem sui barbarum uirgula excæcat, in exitium sui quod uolebat ita† concitat. Mox à Perpenna domitus & captus, & per deditionem in uinculis habitus Aquilius Asiatici belli reliquias confecit, mixtis, nefas, ueneno fontibus ad deditionē quarundā urbium, quæ res ut maturā, ita infamem fecit uictoriā: quippe quum contra fas deûm, moresq; maiorū medicaminibus impuris in id tempus, sacrosancta Romana arma uiolasset.

Attalus rex

† als. concidit

LVCII FLORI EPITOMES LIBER TERTIVS.

BELLVM IVGVRTHINVM. CAPVT I.

HAEC ad Orientē. Sed non ad meridionalem plagam eadem quies. Quis speraret post Carthaginē aliquod in Africa bellum? Atqui nō leuiter se Numidia cōcussit, & fuit in Iugurtha, quod post Hannibalem timeret. Quippe rex callidissimus populum Romanum armis inclytum & inuictū opibus aggressus est, & citra spem omnium fortuna cessit, ut rex fraude præcipuus fraude caperetur. Hic auo Masinissa, & Micypsa patre per adoptionē, quū interficere fratres statuisset agitatus regni cupiditate, nec illos magis quàm senatum populumq; Romanum, quorum in fide & clientela regnū erat, metueret: primū scelus mandat insidijs, potitusq; Hiempsalis capite, quū se in Adherbalem cōuertisset, isq; Romā profugisset, missa per legatos pecunia, traxit in sententiā suā senatū. Et hæc fuit de nobis eius prima uictoria. Missos deinde, qui regnū inter illū Adherbalemq; diuiderent, similiter aggressus, quū in Scauro ipsos Romani imperij mores expugnasset, inchoatū nephas perfecit audacius. Sed diu non latent scelera. Corruptæ nephas legationis erupit, placuitq; bello persequi parricidā. Primus in Numidiam Calfurnius Bestia consul immittit. Sed rex præmonitus fortius aduersus Romanos aurum esse, quàm ferrū, pacē emit. Cuius flagitij reus quū interueniente publica fide à senatu accersiretur, pari audacia & uenit, & competitorem imperij Masinissæ, †Masinissam immisso percussore confecit. Hæc altera contra regem fuit causa bellandi. Igit̄ sequens ultio mandatur Albino. Sed huius quoq; (proh dedecus) ita corrupit exercitum, ut uoluntaria nostrorū fuga uinceret Numida, castrisq; potiret̄, addito etiam turpi fœdore, in precium salutis, quem quod prius emerat, dimisit exercitum. Eodem tempore in ultionē non tam imperij Romani, quàm pudoris, Metellus assurgit, qui callidissime hostē nunc precibus, nūc minis, iam quasi simulata uera fuga eludentē, artibus suis aggressus est. Agrorum atq; uicorū populatione non contentus, in ipsa Numidiæ capita impetum fecit, & Zamam quidem frustra diu uoluit. Cæterum Thalam, grauem armis, thesauroq; regis diripuit. Tunc urbibus exutum regem, etiam finium suorum regniq; fugitiuum per Mauros atq; Getuliam sequebatur. Postremo Marius auctis admodū copijs, quum pro obscuritate generis sui, capite censos sacramento adegisset, iam fusum & saucium regem adortus, nō facilius tum uicit, quàm si integrū & recentē. Hic & urbem Herculi conditā Capsam in media Africa sitam, anguibus arenisq; uallatā mira quadam felicitate superauit. Et saxeo inditam monti Mulucham urbē per Ligurē aditu arduo inaccessoq; penetrauit.

Al. Maßiuam

Capsa

penetrauit: mox non ipſum modo, ſed Bocchũ Mauritaniæ regem iure ſanguinis Numidiam uindicantem, apud oppidum Cirtham grauiter cecidit. Qui ubi diffiſus rebus ſuis, alienæ cladis acceſſionem fieri timet, precium fœderis atq; amicitiæ regem facit. Sic fraudulentiſſimus regũ, fraude ſoceri ſui in inſidias deductus eſt, & Syllæ in manum traditus. Tandemq; opertũ catenis Iugurthã in triumpho populus Ro. aſpexit: ſed ille quoq; quamuis uictus & uinctus uidit urbem, quam uenalem, & quandoq; periturã, ſi habuiſſet emptorem, fruſtra cecinerat. Tamen ut uenalis fuiſſet, habuit emptorem: & quum ille non euaſerit, certum erit eam non eſſe perituram.

BELLVM ALLOBROGICVM. CAP. II

SIc ad meridiem populus Romanus. Multo atrocius & multipliciter & magis à Septentriõe ſæuitum: nihil hac plaga infeſtius, atrox cœlum, peruicaci ingenio. Omni igitur tractu uiolentus hoſtis à dextris atque læuis, & medio Septẽtrionis erupit. Prima trãs Alpes arma noſtra ſenſere Salyi, quũ de incurſionibus eorũ fidiſſima atq; amiciſſima ciuitas Maſſylia quereretur: Allobroges deinde, & Auerni, quum aduerſus eos ſimiles Heduorum querelæ opem & auxilium noſtrum flagitarent. Varus uictoriæ teſtis, Yſaraq;, & Vindelicus amnis, & impiger fluminũ Rhodanus. Maximus barbaris terror elephanti fuere, immanitati gentium pares. Nil tam conſpicuũ in triumpho, quàm rex ipſe bis uiſus diſcoloribus in armis, argenteoq; carpẽto, qualis pugnauerat. Vtriuſq; uictoriæ quod quantumq; gaudium fuerit, uel hinc extimari poteſt, quod & Domitius Enobarbus, & Fabius Maximus ipſis quibus dimicauerant locis ſaxeas erexere turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus trophæa fixere: quũ hic mos inuſitatus fuerit noſtris. Nunquam enim populus Ro. hoſtibus domitis uictoriã ſuam exprobrauit.

BELLVM CYMBRICVM, THEVTONICVM, AC TIGVRINVM. CAPVT III.

CYmbri, Theutoni, atque Tigurini, ab extremis Galliæ profugi quũ terras eorum inundaſſet oceanus, nouas ſedes toto orbe quærebant: excluſiq; ex Gallia & Hiſpania, quum in Italiam remigrarẽt, miſerunt legatos in caſtra Syllani, inde ad ſenatum, petẽtes ut Martius populus aliquid ſibi terræ daret, quaſi ſtipendium, cæterũ ut uellet, manibus atq; armis ſuis uteret. Sed quas daret terras populus Ro. agrarijs legibus intra ſe dimicaturus? Repulſi igitur quod nequiuerant precibus, armis petere conſtituunt. Sed nec primum impetum barbarorum Syllanus, nec ſecundum Manilius, nec tertium Cepio ſuſtinere potuerunt. Omnes fugati, exuti caſtris, actum erat, niſi Marius illo ſeculo contigiſſet. Ille quoque† auſus congredi, ſtatim militem tenuit in caſtris, donec inuicta illa rabies, & impetus, quem pro uirtute barbari habent, conſeneſceret. Receſſere igitur increpantes, & tanta erat capiendæ urbis fiducia, conſulentes ſi quid ad uxores ſuas mandarent. Nec *al. non auſus.*

ſegnius,

segnius,quàm minati fuerãt,tripartito agmine per Alpes,id est,claustra Italiæ ferebantur. Marius mira statim uelocitate occupatis compendijs præuenit hostem. Prioresq; Theutonas sub ipsis Alpium radicibus assequutus, in locum quem Aquas Sextias uocant,qua fide numinum prælio oppressit, uallem, fluuiumq; hostes tenebant, nostris aquarum nulla copia, consulto ne id egerit Imperator,an errorẽ in consiliũ uerterit, dubiũ. Certe necessitate acta uirtus causa uictoriæ fuit. Nam flagitante aquam exercitu: Viri,inquit, estis,en illic habetis. Itaq; tanto ardore pugnatum est, eaq; cædes hostium fuit, ut uictor Romanus de cruento flumine non plus aquæ biberit quàm sanguinis. Barbarorum certe rex ipse Theutobochus quaternos senosque equos transilire solitus,uix unum quum fugeret ascendit,proximoq; in saltu comprehensus, insigne spectaculũ fuit, quippe uir proceritatis eximiæ super trophæa ipsa eminebat. Sublatis funditus Theutonis,in Cymbros conuertitur. Hi iam, quis crederet, per hyemem, quæ altius Alpes leuat, Tridentinis iugis in Italiã prouoluti ruina descenderãt, Athesim flumen nõ ponte, nec nauibus,sed quadam stoliditate barbarica, primũ corporibus aggressi, postquam retinere amnem manibus & clypeis frustra tentauerant, ingesta obrutum sylua transiluere:& si statim infesto agmine urbẽ petissent, grande discrimen esset. Sed in Venetia,quo ferè tractu Italia mollissima est,ipsa soli cœliq; clemẽtia robur elanguit. Ad hoc panis usu, carnis coctæ, & dulcedine uini mitigatos Marius in tempore aggressus est: iam diem pugnæ à Mario Imperatore petierunt, & sic proximum dedit. In patentissimo,quem Claudium uocant,campo procurrere,milia deinde ad XL.ceciderunt. Hinc cãpus tertio,per omnẽ diem conciditur barbaris. Isti quoque Imperator addiderat uirtuti dolum,sequutus Hannibalem,artemq; Cannarum. Primum nebulosum nactus diem, ut hosti inopinatus occurreret: tum uentosum quoque,ut puluis in oculos & ora ferretur: tum acie conuersa in Orientem, ut quod ex captiuis mox cognitum est,ex splendore galearũ, ac repercussu,quasi ardere cœlum uideret. Nec minor cum uxoribus eorũ pugna quàm cum ipsis fuit, quum obiectis undiq; plaustris atq; carpentis, alte desuper quasi è turribus lanceis contisq; pugnarent,perinde plus speciosa mors earum fuit quàm pugna. Nam quum missa ad Marium legatione, libertatẽ ac sacerdotium non impetrassent, nec fas erat, suffocatis elisisq; passim infantibus suis,aut mutuis concidere uulneribus, aut uinculo è crinibus suis facto, ab arboribus iugisq; plaustrorum pependerũt. Beleus rex in acie dimicans impigre,nec inultus occubuit. Tertia Tigurinorum manus,quæ quasi subsidio Noricos insederat Alpium tumulos, in diuersa lapsi, fuga ignobili & latrocinijs euanuit. Hunc tam lætum,tamq; felicem libertatis Italiæ,assertiq; imperij nunciũ,nõ per homines,ut solebat,populus accepit,sed per ipsos(si credere fas est)deos. Quippe eodẽ die quo gesta res est,uisi pro æde Castoris & Pollucis iuuenes

laureati

laureati prætori literas dare, frequensq́ꝫ in spectaculo rumor uictoriæ Cymbricæ feliciter dixit. Quo quid admirabilius, quidq́ꝫ insignius fieri potest? Quippe ut uelut elata montibus suis Roma, spectaculo belli interesset, quod in gladiatorio munere fieri solet. Vno eodemq́ꝫ momento quũ in acie Cymbri occumberent, populus in urbe plaudebat.

BELLVM THRACIVM. CAPVT IIII.

POst Macedonas (sic dijs placet) Thraces rebellabant, ipsi quondam tributarij Macedonum, nec in proximas modo prouincias contenti incurrere, Thessaliam atq; Dalmatiam in Adriaticum mare usq́ꝫ uenerunt, eoq́ꝫ fine contenti, quasi interueniente natura, cõtorta in ipsas aquas tela miserũt. Nihil interim per id omne tempus residuum crudelitatis fuit in captiuos sæuientibus. Litare dijs sanguine humano, bibere in ossibus capitum, & huiuscemodi ludibrio fœdare mortem tam igni quàm fumo: partus quoq; grauidarum extorquere tormentis. Sæuissimi omnium Thracum Scordisci fuere. *Scordisci.* Sed calliditas quoq́ꝫ ad robur accesserat, syluarum & montium situs cum ingenio consentiebant. Itaq́ꝫ nõ fusus modo ab his, aut fugatus, sed simili prodigio omnino totus interceptus exercitus quẽ duxerat Cato. Didius uagos, & libera populatione diffusos intra suam repulit Thraciam. Drusus ulterius egit, & uetuit transire Danubium. Minutius toto uastauit Hebro, multis quidem amissis, dum per perfidũ glacie flumen equitatur. Piso Rhodopem Caucasumq́ꝫ penetrauit. Curio Daciam tenus uenit, sed tenebras saltuũ expauit. Appius in Sarmatas usque peruenit. Lucullus ad terminum gentium Tanain, lacumq́ꝫ Mæotin. Nec aliter cruentissimi hostium quàm suis moribus domiti, quippe in captiuos igne ferroq́ꝫ sæuitum est. Sed nihil barbaris atrocius uisum est, quàm quod abscissis manibus relicti uiuere superstites pœnæ suæ uidebantur.

BELLVM MITHRIDATICVM. CAPVT V.

POnticæ gentes ad Septentrionem in mare sinistrum iacẽt, à Pontico cognominatæ mari. Harum gentium atq́ꝫ regionũ rex antiquissimus Atheas. Post Artabazes, à septẽ Persis oriundus. Inde Mithridates omnium longe maximus, quippe quum quatuor Pyrrho, XVII. anni Hannibali suffecerunt, ille per quadraginta annos restitit, donec tribus ingentibus bellis subactus felicitate Syllæ, uirtute Luculli, magnitudine Pompei consumeret. Causam quidem illius belli prætenderat apud Cassium legatum, attrectari terminos suos à Nicomede Bithynio. Cæterum elatus animis ingentibus, Asiæ totius, & si posset, Europæ cupiditate flagrabat. Spem ac fiduciam dabant nostra uitia. Quippe quũ ciuilibus bellis distingeremur, inuitabat occasio, nudumq́ꝫ imperij latus ostendebant procul Marius, Sylla, Sertorius. Inter hæc Reipub. uulnera, & hos tumultus repente quasi captato tempore, in lassos simul atque districtos, subitus turbo Pontici belli, ab ultima ueluti

specula

specula septentrionis erupit. Primus statim impetus belli Bithyniam rapuit. Asia inde pari terrore correpta est. Nec cunctanter ad regem ab urbibus nostris populisq; descitum est. Aderat, instabat, sæuitia quasi uirtute utebatur. Nam quid atrocius uno eius edicto? quum omnes, qui in Asia forent Romanæ ciuitatis homines interfici iussit? Tum quidem domus, templa, & aræ, humana omnia atque diuina iura uiolata sunt. Sed hic terror Asiæ, Europam quoq; regi aperiebat. Itaq; missis Archelao Neoptolemoq; præfectis, excepta Rhodo, quę pro nobis firmius stetit cæteris, Cyclades, Delos, Eubœa, & ipsum Græciæ decus Athenæ tenebantur. Italiam iam ipsamq; urbem Romā regius terror afflabat. Ita L. Sylla festinat, uir armis optimus, parіq; uiolentia ruentē ulterius hostem, manu quadā quasi ipsius repulit. Primumq; Athenas urbem (quis crederet?) frugum parentem, obsidione ac fame ad humanos cibos compulit, sic illos quoque ante, mox subrupto Pyrei portu, sex quoq; & amplius muris, postquam domuerat ingratissimos hominū, ut ipse dixit, in honorē tamen mortuorū sacris suis famæq; donauit. Mox quū Eubœa atq; Bœotia præsidia regis dispulisset, omneis copias, uno apud Cheroneam, apud Orchomenon altero bello dissipauit, statimq; in Asiā transgressus ipsum opprimit: & debellatū etiam foret, nisi de Mithridate triumphare cito quàm uere maluisset. Ac tum quidem hunc Asiæ statum Sylla dederat. Ictum cum Ponticis fœdus, recepit Bithyniam à rege Nicomede, ab Ariobarzane Cappodociam: ac sic erat Asia rursus nostra, ut cœperat. Mithridates tantū repulsus. Itaq; nō fregit ea res Ponticos, sed incendit. Quippe rex Asia & Europa quodammodo inescatus, nō iam quasi alienam, sed quia amiserat, quasi captam, belli iure repetebat. Igit̃ ut extincta parum fideliter incendia, maiore flāma reuiuiscūt: ita ille de integro auctis maiorē in modū copijs, tota deniq; regni sui mole, in Asiam rursus mari, terra, fluminibusq; ueniebat. Cyzicum nobilis ciuitas, arce, mœnibus, portu, turribusq; marmoreis, Asiaticæ plagæ littora illustrat. Hanc ille quasi alteram Romā toto inuaserat bello. Sed fiduciam oppidanis resistendi nuncius fecit, docens aduentare Lucullum, qui, horribile dictu, per medias hostiū naues utre suspensus, & pedibus iter adgubernans, uidentibus procul, quasi marina pistrix euaserat. Mox clade conuersa, quum ex mora obsidentem regem, & ex fame pestilentia urgeret, recedentem Lucullus assequitur, adeoq; cecidit, ut Granicus, & Asopus amnes cruenti redderentur. Rex callidus, Romanæq; auaritiæ peritus, spargi à fugientibus sarcinas & pecuniam iussit, qua sequentes moraret̃. Nec infelicior in mari quàm in terra fuga. Quippe centum amplius nauium classem apparatumq; belli grauē, in Pontico mari aggressa tempestas, tam fœda strage lacerauit, ut naualis belli instar efficeret. Plane quasi Lucullus quodam cum fluctibus procellisq; commercio, debellandū tradidisse regem uentis uideretur. Attritæ iam omnes ualidissimi regni uires erāt, sed animus malis

Crudelitas Mithridatis.

Cyzicum.

malis angebatur. Itaq; cõuersus ad proximas gentes, totum penè Orientem ac Septentrionẽ ruina sua inuoluit. Hiberi, Caspij, Albani, & utræq; solicitabantur Armeniæ, perq; omnia & decus, & nomen, & titulos Pompeio sua fortuna quærebat. Qui ubi nouis motibus ardere Asiã uidet, aliosq; ex alijs prodire reges, nihil cunctandum ratus, priusquam inter se gentium robora coirent, statim ponte nauibus facto, omnium ante se primus transit Euphratem, regemq; fugientem media nactus Armenia (quanta felicitas uiri) uno prælio cõfecit. Nocturna ea dimicatio fuit, & luna in partibus: quippe quasi commilitans quum à tergo hostibus, à facie Romanis se præbuisset, pontici per errorem longius cadentes umbras suas quasi hostium corpora petebãt. Et Mithridates quidem nocte illa debellatus est. Nihil enim postea ualuit, quanquam omnia expertus, more anguium, qui obtrito capite, postremum cauda minantur. Quippe quum effugisset hostem, Colchos, †Ciliciæ quoq; littora, & Campaniam nostram subito aduentu terrere uoluit. Mox subruto Pyrei portu, Colchis tenus iungere Bosphoron, inde per Thraciam, Macedoniam & Græciam transilire, sic Italiam nec opinatus inuadere tantum cogitauit. Nam per defectionẽ ciuiũ, Pharnacisq; filij scelere præuentus, male tentatum ueneno spiritum ferro expulit. Gneius interim Magnus rebelles Asiæ reliquias sequens per diuersa gentium terrarumq; uolitabat. Nam sub Orientem sequutus Armenios, captis in ipso capite gentis Artaxatis, supplicem iussit regnare Tigranem. At in Septentrionem Scythicum iter tanquã in mari stellas sequutus, Colchos cecidit. Ignouit Hiberię, pepercit Albanis, regem Colchorum Orodem positis etiam sub ipso Caucaso castris, iussit in plana descendere, Arthocen, qui Hiberis imperabat, & obsides liberos dare. Orodem etiam remuneratus est ultro, ab Albania sua lectulum aureum & alia dona mittentem: nec non & in meridiem uerso agmine, Libanum Syriæ, Damascumq; transgressus, per nemora illa odorata, per thuris & balsami syluas Romana signa circuntulit. Arabes siquid imperaret, præsto fuere. Hierosolyma defendere tentauere Iudæi. Verum hæc quoq; & intrauit, & uidit illud grande impiæ gentis archanum patens aureo uti cœlo. Dissidentibus de regno fratribus, arbiter factus, regnare iussit Hircanum. Aristobolo quia renuebat eam rem, catenas dedit. Sic Pompeio duce populus Ro. totã quã latissima est Asiam peruagatus, quam extremã imperij habebant prouinciam, mediam fecit. Exceptis quippe Parthis, qui fœdus maluerunt, & Indis, qui adhuc nos non nouerant, omnis Asia inter Rubrum & Caspium & Oceanum Pompeianis domita uel oppressa signis tenebatur.

† al's. Sicilia

BELLVM PIRATICVM. CAPVT VI.

INterim dum populus Romanus per diuersa terrarum distractus est, Cilices inuaserant maria, sublatisq; cõmercijs, rupto fœdere generis humani, sic maria bello, quasi tempestate præcluserant. Audaciam perditis furiosisq;

d latronibus

latronibus dabat inquieta Mithridatis prælijs Asia. Dum sub alieni belli tu/multu, exteriꝙ regis inuidia impune grassantur, ac primũ duce Isodoro con/tenti proximo mari, Cretam inter atque Cyrenas, Pyreum & Achaiam, si/numꝙ Maleum, quem à spolijs aureum ipsi uocauere, latrocinabantur. Mis/susꝙ in eos Publius Seruilius, quamuis leues & fugaces, & Myoparonas graui & Martia classe turbaret, non incruenta uictoria superat. Sed nec mari submouisse contentus, ualidissimas urbes eorum & diutina præda abundan tes, Phaselim & Olympon euertit, Isauronꝙ ipsam arcem Ciliciæ, unde con scius sibi magni laboris, Isaurici cognomen adamauit. Non ideo tamen tot cladibus domiti, terra se continere potuerunt: sed ut quædam animalia, qui/bus aquam terramꝙ incolendi gemina natura est, sub ipso hostis recessu im patientes soli in aquas suas resiluerunt, & aliquanto latius quàm prius. Sic fe lix ille & dignus uictoria Pompeius uisus est, & Mithridaticæ prouinciæ fa/cta accessio. Ille dispersam toto mari pestem semel & in perpetuum uolens extinguere, diuino quodam apparatu aggressus est. Quippe quũ classibus suis & socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis atque præfectis utraque Ponti & oceani ora complexus est. Gellius Tusco mari impositus, Plotius Siculo, Gratillius Ligusticum sinum, Pompeius Gallicum obsedit, Torquatus Balearicum, Tiberius Nero Gaditanum fretum, quâ primum maris nostri limen aperitur. Lentulus Libycum, Marcellinus Ægyptiũ, Pom pei iuuenes Adriaticum, Varro Terentius Ægeum, & Ponticum, & Pam/phylium, Metellus Asiaticũ, Cœpio ipsas Propontidis fauces, Portius Cato sic obditis nauibus, quasi portum obseruauit. Sic per omnis æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quicquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum & oppressum est. Ipse Pompeius in originẽ fontemꝙ belli Ciliciam uersus est. Nec hostes detrectauere certamen, nõ ex fiducia, sed quia oppressi erant ausi uidebantur, sed nihil tamen amplius, ꝙ ut primum ictum concurrerent. Mox ubi circumfusa undiꝙ rostra uiderũt, abiectis statim telis remisꝙ, plausu undiꝙ pari, quod supplicãtibus signum fuit, uitam petiuerunt. Non alia tam incruenta uictoria usi unquam sumus, sed nec fidelior in posterum reperta gens ulla est. Idꝙ prospectum singulari consilio ducis, qui maritimũ genus à conspectu longe remouit maris, & me/diterraneis quasi obligauit. Eodemꝙ tempore & usum maris nauibus recu/perauit, & terræ homines suos reddidit. Quid prius in hac mirere uictoria? uelocitatem? quod xl. die parta est: an felicitatem? quod ne una quidem na/uis amissa est: an perpetuitatẽ? quod amplius piratæ non fuerunt.

Seruilius Isauricus.

BELLVM CRETICVM. CAPVT VII.

CReticum bellum, si uera uolumus noscere, nos fecimus, sola uincendi no bilem insulã cupiditate. Fauisse Mithridati uidebatᷣ, hoc placuit armis uindicare. Primus inuasit insulam Marcus Antonius, cum ingenti quidem

uictoriæ

uictorię spe atq; fiducia, adeo ut plureis catenas in nauibus, quàm arma portaret. Dedit itaq; pœnas uecordiæ, nam plerasque naues intercepere hostes, captiuaq; corpora religata uelis, ac funibus pependere, ac sic uelificantes triumphantiũ in modum Cretes portubus suis adremigauerunt. Metellus deinde totam insulam igni ferroq; populatus, intra castella & urbes redegit, & Gnoson, & Eritream, & (ut Græci dicere solent) urbium matrem Cydonam, adeoq; sæue in captiuos consulebatur, ut ueneno se pleriq; conficerent, alij deditionem suam ad Pompeium absentem mitterent. Et quũ ille res in Asia gerens, eò quoq; præfectum misisset Antonium, in illa prouincia irritus fuit, eoq; infestior Metellus in hostes ius uictoris exercuit, uictisq; Iasthene & Panare Cydonæ ducibus, uictor redijt, nec quicquã amplius tamen de tam famosa uictoria, quàm cognomen Creticum reportauit.

BELLVM BALEARICVM. CAPVT VIII.

QVatenus Metelli Macedonici domus bellicis nominibus assueuerat, altero ex liberis eius Cretico facto, mora non fuit, quin alter quoque Balearicus uocaretur. Baleares per idem tempus insulæ piratica rabie corruperant maria. Homines feros atq; syluestres mireris ausos à scopulis suis saltem maria prospicere. Ascendêre etiam inconditas rates, & prænauigantes subinde inopinato impetu terruere. Sed quum uenientem ab alto Romanã classem prospexissent, prædam putantes, ausi etiam occurrere, & primo impetu ingenti lapidum saxorumq; nimbo classem operuere. Tribus quisque fundis præliatur, certos esse quis miretur ictus, quũ hæc sola genti arma sint, id unum ab infantia studium? Cibum puer à matre nõ accipit, nisi quẽ ipsa monstrante percussit. Sed non diu lapidatione Romanos terruere. Postquã cominus uentum est, expertiq; rostra, & pila uenientia, pecudum in morem, clamore sublato petierunt fuga littora, dilapsiq; in proximos tumulos quærendi fuerunt ut uincerentur.

EXPEDITIO IN CYPRON. CAPVT IX.

ADerat fatum insularum. Igitur & Cypros recepta sine bello. Insulã ueteribus diuitijs abundantem, & ob hoc Veneri sacram Ptolemæus regebat: & diuitiarum tanta erat fama, nec falso, ut uictor gentium populus, & donare regna consuetus, Publio Clodio Tribuno duce, socij uiuiq; regis confiscationem mandauerit. Et ille quidem ad rei famam ueneno fata præcepit. Cæterum Portius Cato Cyprias opes Liburnis per Tyberinũ ostium inuexit, quæ res latius ærariũ populi Ro. quàm ullus triumphus impleuit.

BELLVM GALLICVM. CAPVT X.

ASia Pompei manibus subacta, reliqua quæ restabant in Europa, fortuna in Cæsarem transtulit. Restabant autem immanissimi gentium Galli atq; Germani, & quamuis toto orbe diuisa, tamen qui uinceret, habuit Britannia. Primus Galliæ motus ab Heluetijs cœpit, qui Rhodanum inter

& Rhenum siti, non sufficientibus terris uenere sedes petitum, incensis mœnibus suis. Hoc sacramentum fuit, ne redirent. Sed petito tempore ad deliberandum, quum inter moras Cæsar Rhodani ponte rescisso abstulisset fugam, statim bellicosissimam gentem sic in sedes suas quasi greges in stabula

Belgæ. pastorum deduxit. Seques longeq; cruentior pugna Belgarum, quippe pro libertate pugnantium. Hic quum multa Romanorum militum insignia, tum illud egregium ipsius ducis, quod nutante in fugã exercitu, rapto fugientis è manu scuto, in primam uolitans aciem, manu præliũ restituit. Inde cum Venetis etiam nauale bellum, sed maior cum oceano quàm cum ipsis nauibus rixa. Quippe illæ rudes & informes, & statim naufragæ rostra sensissent: sed hærebat in uadis pugna, quũ æstibus solitis, quũ ipso certamine subductus oceanus intercedere bello uideret. Illæ quoq; accessere diuersitates, pro gen-

Aquitani. tium locorumq; natura. Aquitani callidũ genus in speluncas se recipiebãt: iussit includi, mora dilabebãtur in syluas: iussit incendi. Nemo tantũ feroces dixerit Gallos, fraudibus agunt. Indutiomarus Treuiros, Ambiotrix conuocauit Eubrones, utriq; absente Cæsare coniuratione facta inuenere legatos. Sed ille fortiter à Dolobella summotus est, relatũq; regis caput. Hic insidijs in ualle dispositis dolo perculit, itaq; & castra direpta sunt, & aurum ablatũ. Cottam cum Titurio Sabino legato amisimus. Nec ulla de rege mox ultio, quippe perpetua trans Rhenũ fuga latuit. Nec Rhenus ergo immunis, nec etiam fas erat, ut liber esset receptator hostiũ atq; defensor. Sed prima cõtra Germanos illius pugna iustissimis quidẽ ex causis. Hedui enim de incursio

Ariouistus. nibus eorum querebantur. Quæ Ariouisti regis superbia? Quum legati dicerent, Veni ad Cæsarem. Quis est aũt Cæsar? Et si uult ueniat, inquit, & quid ad illum, quid agat nostra Germania? num ego me interpono Romanis? Itaq; tantus gentis nouæ terror in castris, ut testamenta passim, & in principijs scriberentur. Sed illa immania corpora quo erant maiora, eo magis gladijs ferroq; patuerunt. Qui calor in præliando militum fuerit, nullo magis exprimi potest, quàm quod elatis super caput scutis, quũ se ueluti testudine barbarus tegeret, super ipsa Romani scuta salierũt, & inde in iugulos gladijs descendebant. Iterum ubi de Germanis Tenchateri querebantur. Hic uerò iam Cæsar ultra Mosulam nauali ponte transgreditur, ipsumq; Rhenum, & Hercinijs hostem quærit in syluis. Sed in saltus & paludes genus omne diffugerat, tantũ pauoris incussit intra ripam subito Romana uis, nec semel Rhenus, & iterũ quoq;, & quidẽ ponte facto, penetratus est. Sed maior aliquanto trepidatio, quippe quum Rhenum suum sic ponte, quasi iugo captum uiderent, fuga rursus in syluas & paludes. Sed quod acerbissimum Cæsari fuit, nõ fuere, qui uincerent. Omnibus terra mariq; captis, respexit oceanum, & quasi hic Romanis orbis nõ sufficeret, alterũ cogitauit. Classe igitur comparata, Britanniam petit. In Britanniam transit mira celeritate, quippe

qui

qui tertia uigilia Morino soluisset à portu, minus quàm medio die insulam ingressus est. Plena erãt tumultu hostico littora, & trepidantia ad conspectũ rei nouæ carpenta uolitabant. Itaq; trepidatio pro uictoria fuit, arma & obsides accepit à trepidis, & ulterius isset, nisi improbam classem naufragio castigasset oceanus. Reuersus igitur ad Galliam classe maiore, auctisq; copijs, in eundem rursus oceanũ, eosdemq; rursus Britannos, Calydonias sequutus in syluas. Vnum quoq; è regibus† Cauelanis in uincula dedit. Cõtentus his, non enim prouinciæ, sed nomini studebatur, cum maiore quàm prius præda reuectus est: ipso quoq; oceano tranquillo magis & propitio, quasi impa rem se fateretur. Sed maxima omnium, eademq; nouissima coniuratio fuit Galliarum: quum omnes pariter Auernos atq; Biturigas, Carnutas simul Sequanosq; contraheret. Ille corpore, armis, spirituq; terribilis, nomine, & quasi terrore composito Vercingentorix: ille festis diebus & comitialibus, quũ frequentissimos in lucis haberet, ferocibus dictis ad ius pristinum libertatis erexit. Aberat tunc Cæsar Rauennæ delectum agens, & hyeme creuerant alpes, sic interclusum putabant iter. Sed ille qualis erat, ad nuncium rei felicissimæ temeritatis: Per inuios ad id tempus montium tumulos, per intactas uias & niues, expedita manu emensus, occupat Galliam: ex distantibus hibernis castra contraxit, & ante in media Gallia fuit, quàm ab ultima timeretur. Tum ipsa capita belli aggressus urbes, Auaricum cum quadraginta milium propugnantium sustulit, Alexiam ducentorum quinquaginta milium iuuentute subnixam flammis adæquauit. Circa Gergoniam tota belli moles fuit. Quippe quam quũ LXXX. milia muro & arce & abruptis defenderent maximam ciuitatem, uallo, sudibus, & fossa, inductoq; fossæ flumine, ad hoc XVIII. castellis, ingentiq; quasi lorica circundatam, primum fame domuit: mox audentem eruptiones, in uallo gladijs sudibusq; concidit, nouissime in deditionem redegit. Ipse ille rex, maximũ uictoriæ decus, supplex quũ in castra uenisset, tum & phaleras, & sua arma ante Cæsaris genua proiecit: Habes, inquit, fortem, uir fortissime, uicisti.

† al's. Cassiuellaunum

Vercingentorix

BELLVM PARTHICVM. CAPVT XI.

Qvum Gallos per Cæsarem in Septentrione debellat, interim ad Orientem graue uulnus à Parthis populus Romanus accepit. Nec de fortuna queri possumus, caret solatio clades. Aduersa & dijs & hominibus cupiditas cõsulis Crassi, dum Parthico inhiat curo, strage XI. legionũ, & ipsius capite mulctata est, quod tribunus plebis Metellus exeuntem ducem hostilibus diris deuouerat: & quum Zeugma transisset exercitus, rapta subitis signa turbinibus hausit Euphrates, & quũ apud Nicephorũ castra posuisset, missi ab Orode rege legati denunciauere percussorum cum Pompeio fœderum, cum Syllaq; quæ meminisset. Regijs inhians ille thesauris, nihil ne imaginario quidem iure, sed Seleuciæ se responsurum esse respondit. Itaque

dŋ fœderum ultores, nec insidŋs, nec uirtuti hostium defuerunt. Iam primũ, qui solus & subuehere cõmeatus, & munire poterat, à tergo relictus Euphrates, dum simulato transfugæ cuidam Mezerę Syro creditur, quũ in mediam camporum uastitatem eodem duce ductus exercitus, undiqꝫ hosti exponeretur. Itaque uixdum uenerat Carras, quum undiqꝫ præfecti regis Sylaces, & Surenas ostendêre signa auro sericisqꝫ uexillis uibrantia. Tum sine mora circumfusi undique equitatus, in modum grandinis atque nimborum, densa tela pariter fuderunt. Sic miserabili strage deletus exercitus, ipse in colloquiũ sollicitus signo dato, uiuus in hostium manus incidisset, nisi tribunis reluctantibus fugam ducis, barbari ferro occupassent. Sic quoque relatum caput ludibrio hosti fuit. Filium ducis penè in conspectu patris eisdem telis operuere. Reliquiæ infelicis exercitus, quò quemqꝫ rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciã, Syriamqꝫ distractæ uix nuncium cladis retulerunt. Caput eius recisum cum dextera manu, ad regem reportatum ludibrio fuit, neqꝫ indigno. Aurũ enim liquidum in rictum oris infusum est, ut cuius animus arserat auri cupiditate, eius etiam mortuum & exangue corpus auro uteretur.

ANACEPHALAEOSIS CAPVT XII.

HÆc est illa tertia ętas populi Romani transmarina, qua Italia progredi ausus, orbe toto arma circumtulit. Cuius ætatis superiores centum anni sancti, pŋ, & (ut diximus) aurei, sine flagitio, sine scelere, dũ syncera adhuc, & innoxia pastoriæ illius sectæ integritas, dumqꝫ Pœnorum hostiũ imminens metus disciplinam ueterem continebat. Postremi centum, quos à Carthaginis, Corinthi, Numantiæqꝫ excidŋs, & Attali regis in Asiatica hæreditate, deduximus in Cæsarem, & Pompeium, sequutumqꝫ hos, de quo dicemus, Augustum, ut claritate rerum bellicarum magnifici, ita domesticis cladibus miseri & erubescendi. Quippe sicut Galliam, Thraciam, Ciliciam, ubertimas ualidissimasqꝫ prouincias, Armenios etiã, & Britannos, ut nõ in usum, ita ad imperŋ speciem magna nomina acquisisse pulchrum atqꝫ decorum. Ita eodẽ tempore dimicasse domi cum ciuibus, socŋs, mancipŋs, gladiatoribus, totoqꝫ inter se senatu, turpe atque miserandũ. Ac nescio an satius fuerit populo Romano Sicilia & Africa contentum fuisse, aut his etiã ipsis carere dominanti Italia sua, quàm eò magnitudinis crescere, ut uiribus suis conficeretur. Quæ enim res alia furores ciuiles peperit, quàm nimia felicitas? Syria prima nos uicta corrupit. Mox Asiatica Pergameni regis hæreditas. Illæ opes atqꝫ diuitiæ afflixere seculi mores, mersamqꝫ uitŋs suis quasi sentina rempublicam pessum dedere. Vnde enim populus Romanus agros, & cibaria flagitaret, nisi per famem, quam luxus fecerat? Hinc ergo Gracchana, & prima, & secunda, & illa tertia Apuleiana seditio. Vnde ut regnaret de iudiciarŋs legibus diuulsus à senatu eques, nisi ex auaritia? ut uectigalia reipublicæ, atque ipsa iudicia in quæstu haberent? Hinc rursus & promissa ciuitas Latio, & per

hoc arma

hoc arma sociorum. Quid autem bella seruilia? unde nobis nisi ex abundantia familiariũ? Vnde gladiatorĳ aduersus dominos suos exercitus, nisi ad cõciliandum plebis fauorem effusa largitio? Quum spectaculis indulget, supplicia quondam hostiũ artẽ facit. Iam ut speciosiora uitia tangamus, nónne ambitus honorum ab hisdem diuitĳs incitatus? Atqui inde Mariana, inde Syllana potestas. Aut magnificus apparatus conuiuiorum, & sumptuosa largitio, nónne ab opulẽtia paritura mox ægestatem? Hæc Catilinam hostem patriæ suæ impegit. Denique illa ipsa principatus & dominandi cupido, unde nisi ex nimĳs opibus uenit? Hæc Cæsarem atque Pompeium furialibus in exitium reipublicæ facibus armauit. Hos igitur populi Ro. omneis domesticos motus separatos ab externis iustisq; bellis, ex ordine prosequemur.

DE LEGIBVS GRACCHAMIS, CAPVT XII.

SEditionum omniũ causam Tribunitia potestas excitauit, quæ specie quidem plebis tuendæ, cuius in auxilium comparata est, re autem dominationem sibi acquirens, studium populi, ac fauorem agrarĳs, frumentarĳs, iudiciarĳs legibus aucupatur. Inerat omnibus spes æquitatis. Quid enim tam iustum, quàm recipere plebem ius suum à patribus? ne populus gentium uictor, orbisq; possessor, extorris aris ac focis ageret? Quid tam æquum quàm inopem populum uiuere ex ærario suo? Quid ad ius libertatis æquandæ magis efficax, quàm ut senatu regente prouincias, ordinis equestris autoritas saltem iudiciorum regno niteretur? Sed hæc ipsa in perniciem redibant, & misera respublica in exitium suum marcesserat, & à senatu in equitem translata iudiciorum potestas, uectigalia, id est, imperĳ patrimonium supprimebat, *Vectigalia* & emptio frumẽti, ipsos Reipub. neruos exhauriebat ærariũ: reduci plebs in agros unde poterat sine possidentiũ euersione, qui sibi pars populi erãt? & tamen relictas sibi à maioribus sedes ætate quasi iure hæreditario possidebãt.

SEDITIO TYBERII GRACCHI. CAPVT XIIII.

PRimam certaminũ facem Tyberius Gracchus accendit, genere, forma, eloquẽtia facile princeps. Sed hic siue Mancinianę deditionis, quia sponsor fœderis fuerat, contagium timens, & inde popularis, siue æquo & bono ductus, quia depulsam agris suis plebem miseratus est, ne populus Ro. gentiũ uictor, orbisq; possessor, laribus ac focis suis exularet: aut quacũq; mente rem ausus ingentem, postquam rogationis dies aderat, ingenti stipatus agmine rostra conscendit, nec deerat obuia manu tota inde nobilitas, & tribuni in partibus. Sed ut intercedentem legibus suis Cneum Octauium uidet Gracchus contra fas collegĳ, ius potestatis, iniecta manu depulit rostris, adeoq; præsenti metu mortis exterruit, ut abdicare se magistratu cogeretur.

Sic triumuir creatus diuidendis agris, quum ad perpetranda cœpta, die comitiorũ prorogari ſibi uellet imperium, obuia nobiliũ manu, eorumq́, quos agris mouerat, cædes à foro cœpit. Inde quum in Capitoliũ profugiſſet, plebemq́ ad defenſionem ſalutis ſuæ manu caput tangens hortaretur, præbuit ſpeciem regnũ ſibi & diadema poſcentis, atq; ita duce Scipione Naſica concitato in arma populo, quaſi iure oppreſſus eſt.

SEDITIO CAII GRACCHI. CAPVT XV.

STatim & mortis & legum fratris ſui uindex non minore impetu incaluit Caius Gracchus, qui quum pari tumultu atque terrore plebem in auitos agros arceſſeret, & recentem Attali hæreditatem in alimenta populo polliceretur, iamq́ nimius, & potens, altero tribunatu ſecũda plebe uolitaret, abrogare auſo legibus ſuis Minutio tribuno, fretus comitum manu, fatale familiæ ſuæ Capitolium inuaſit. Inde proximorum cæde pulſus, quũ ſe in Auentinum recepiſſet, inde quoque obuia ſenatus manu, ab Opimio conſule oppreſſus eſt. Inſultatum quoq; mortis reliquijs, & illud ſacroſanctũ caput Tribuni plebis percuſſoribus auro penſatum eſt.

SEDITIO APVLEIANA. CAPVT XVI.

NIhilominus Apuleius Saturninus Gracchanas aſſerere leges non deſtitit. Tantum animorum uiro Marius dabat, qui nobilitati inimicus conſulatu ſuo præterea confiſus, occiſo palam comitijs, Annio competitore Tribunatus, ſubrogare conatus eſt in eius locũ Caium Gracchum hominẽ ſine tribu, ſine nomine, ſed ſubito titulo in familiam ipſe ſe adoptat. Quũ tot tantisq́ ludibrijs exultaret impune, rogandis Gracchorum legibus ita uehementer incubuit, ut ſenatũ quoq; cogeret in uerba iurare, quũ abnuentibus aqua & igni interdicturum ſe minaret. Vnus tamen extitit, qui mallet exiliũ. Igitur poſt Metelli fugã omni nobilitate percuſſa iam quũ tertium dominaretur, eò ueſaniæ progreſſus eſt, ut cõſularia quoq; comitia noua cæde turbaret. Quippe ut ſatellitẽ furoris ſui Glauciã conſulẽ faceret, Gaium Memmiũ competitorẽ interfici iuſſit, & in eo tumultu regẽ ex ſatellitibus ſuis appellatum lætus accepit. Tum uero iam conſpiratione ſenatus, ipſo quoq; iam Mario cõſule, quia tueri nõ poterat, aduerſo, directæ in foro acies: repulſus, inde Capitolium inuaſit. Sed quum abruptis fiſtulis obſideretur, ſenatuiq́ per legatos pœnitentiæ fidẽ faceret, ab arce digreſſus, cum ducibus factionis, receptus in curiam eſt. Ibi in eum facta irruptione, populus fuſtibus ſaxisq́ coopertum in ipſa quoq; morte lacerauit.

DRVSIANA SEDITIO. CAPVT XVII.

POſtremo Liuius Druſus nõ Tribunatus modo uiribus, ſed ipſius etiam ſenatus autoritate, totiusq́ Italiæ cõſenſu eaſdem leges aſſerere conatus, dum aliud captat ex alio, tantũ conflauit incendiũ, ut ne prima illius flãma poſſet ſuſtineri, & ſubita morte correptus hæreditariũ in poſteros ſuos bellũ prorogaret iudiciaria lege Caij Gracchi. Diuiſerant populũ Romanũ & bicipitem

pitem ex una fecerant ciuitatem equites Romani, tanta potestate subnixi,ut qui fata fortunasq́ patrum, uitasq́ principum haberēt in manu,interceptis uectigalibus, peculabantur suo iure rempublicam. Senatus exilio Metelli, damnatione Rutilij debilitatus,omne decus maiestatis amiserat. In hoc statu rerum pares opibus, animis, dignitate,unde & nata Liuio Druso æmulatio accesserat, equitem Seruilius Cœpio, senatum Liuius Drusus asserere:signa & aquilæ,& uexilla aderant. Cæterum sic urbe in una quasi in binis castris dissidebatur. Prior Cœpio in senatū impetu facto, reos ambitus Scaurum & Philippū principes nobilitatis eligit. His ut motibus resisteret Drusus,plebem ad se Gracchanis legibus eisdem, socios ad plebem spe ciuitatis erexit. Extat uox ipsius nihil se ad largitionē ulli reliquisse,nisi si quis aut cœnum diuidere uellet,aut cœlum. Aderat promulgandi dies,quū subito tanta uis hominū undiq́ apparuit, ut hostium aduentu obsessa ciuitas uideretur. Ausus tamen abrogare de legibus consul Philippus. Sed apprehēsum faucibus uiator nō ante dimisit,q́ sanguis & in ora,& oculos redundaret. Sic per uim datę iussæq́ leges. Sed preciū rogationis statim socij flagitare,quū interim imparē Drusum ægrumq́ rerū temere motarū matura, ut in tali discrimine mors abstulit,nec ideo minus socij promissa Drusi à populo Romano reposcere armis desierunt.

BELLVM QVOD ADVERSVS SOCIOS GESTVM EST. CAPVT XVIII.

SOciale bellum uocetur licet,ut extenuemus inuidiam: si uerum tamen uolumus,illud ciuile bellum fuit, quippe quum populus Romanus Hetruscos,Latinos, Sabinosq́ miscuerit, & unum ex omnibus sanguinem ducat, corpus fecit ex membris, & ex omnibus unus est. Nec minore flagitio socij intra Italiam quàm intra urbem ciues rebellabant. Itaque quum Thusciæ ciuitates,quas uiribus auxerant,socij iustissime postularēt, ad quam spem eos cupidine dominationis Drusus erexerat: postquā ille domestico scelere oppressus est,eadem fax quę illum cremauit,socios in arma & in expugnationē urbis accendit. Quid hac clade tristius? quid calamitosius? quū omne Latiū, atq́ Picenū, Hetruria omnis atq́ Campania,postremo Italia contra matrē ac parentē suam urbem consurgerent,quum omne robur fortissimorum fidelissimorumq́ sociorū sub suis quisq́ signis haberent municipalia ista prodigia. Popedius Marsos,& etiam Latinos,Afranius Vmbros. Totus senatus & consules Samniū,Lucaniamq́ Thelesinus,quū regum & gentium arbiter populus, ipsum se regere nō posset, ut uictrix Asiæ, Europæq́ à † Corfinio Roma peteret. Primū fuit belli in Albano monte consiliū, ut festo die Latinarum Sex. Lutius Cæsar,& Martius Philippus consules, inter sacra & aras immolarentur. Postquam id nephas proditione discussum est, Asculo furor omnis erupit,in ipsa quidē ludorum frequentia trucidatis, qui tum aderant ab urbe legatis. Hoc fuit impij belli sacramentum,inde iam passim ab omni parte

al's. confinio

parte Italiæ duce & autore belli discursante Popedio, diuersa per populos & urbes signa cecinere. Nec Hannibalis, nec Pyrrhi fuit tanta uastatio. Ecce Otriculum, ecce Grumentum, ecce Fesulæ, Carseoli referatæ, Nuceriæ & Picentij cædibus, ferro & igne uastantur. Fusæ Rutilij copiæ, fusæ Cœpionis. Nam ipse Iulius Cæsar exercitu amisso quũ in urbẽ cruentus referretur, miserabili funere mediã etiam urbem peruiam fecit. Sed magna populi Romani fortuna, & semper in malis maior, totis denuo uiribus insurrexit, aggressique singuli populos, Cato discutit Hetruscos, Gabinus Marsos, Carbo Lucanos, Sylla Samnites. Strabo uero Pompeius omnia flammis ferroque populatus, non prius finem cædium fecit, quàm Asculi euersione, manibus tot exercituum consularium, direptarumque urbium dijs litaretur.

BELLVM SERVILE. CAPVT XIX.

Vtcunque & si cum socijs nephas, cum liberis tamen & ingenuis dimicatum est. Quis æquo animo ferat in principe gentium populo bella seruorum? Primum seruile bellum inter initia urbis Herdonio Sabino duce in ipsa urbe tentatum est, quum occupata Tribunitijs seditionibus ciuitate Capitolium obsessum est, & à consule captum. Sed hic tumultus magis fuit quàm bellum. Mox imperio per diuersa terrarum occupato, quis crederet Siciliam *Sicilia.* multo cruentius seruili quàm Punico bello esse uastatã? Terra frugum ferax, & quodammodo suburbana prouincia latefundijs ciuium Latinorum tenebatur. Hic ad cultum agri frequẽtia ergastula, catenatique cultores materiam bello præbuere. Syrus quidam nomine Eunus (magnitudo cladium facit ut meminerimus) fanatico furore simulato, dum Syriæ deæ ceremonias iactat, ad libertatem & arma seruos quasi numinum imperio concitauit: id ut diuinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure & igne stipauerat, leuiter inspirans flammam inter uerba fundebat. Hoc miraculum primum duo milia ex obuijs, mox iure belli refractis ergastulis, quadraginta amplius milium fecit exercitum. Regijsque, ne quid malis deesset, decoratus insignibus, castella, oppida, uicos miserabili direptione uastauit. Illud quoque in ultimum belli dedecus, capta sunt castra prætorum, nec nominare ipsos pudet, castra Manilij, Lentuli, Pisonis, Hipsei. Itaque qui per fugitiuos distrahi debuissent, prætorios duces profugos pręlio ipsi sequebantur. Tandem Perpenna Imperatore supplicium de eis sumptum est. Hic enim uictos, & apud Ennam nouissime obsessos, quum fame quasi pestilentia consumpsisset, reliquias latronũ compedibus catenisque religauit, crucibusque puniuit. Fuitque de seruis ouatione contentus, ne dignitatem triumphi seruili inscriptione uiolaret. Vix dum respirauerat insula, quum statim à seruis & à Syro reditur ad Cilicem. Athenio pastor, interfecto domino, familiam ergastulo liberatã sub signis ordinat. Ipse ueste purpurea, argenteoque baculo, & regium in morem fronte redimita, nõ minorem quàm ille fanaticus prior conflat exercitũ,

actiusque

acriusq́ multum, quaſi & illum uindicaret,uicos, caſtella, oppida diripiens, in dominos,in ſeruos infeſtius quàm in transfugas ſæuiebat. Ab hoc quoq́ prætorij exercitus cęſi,capta Seruilij caſtra,capta Luculli.Sed Aquilius Perpennæ uſus exemplo interclusum hoſtem commeatibus ad extrema compulit,cõmunitasq́ copias armis,fame facile deleuit, dedidiſſentq́ ſe,niſi ſupliciorum metu uoluntariam mortem prætuliſſent.Ac ne de duce quidẽ ſupliciũ exigi potuit,quamuis in manus uenerit. Quippe dum circa ad deprehendendũ eũ multitudo contendit,inter rixantiũ manus præda lacerata eſt.

BELLVM SPARTACVM. CAPVT XX.

ENimuero ſeruilium armorum dedecus feras. nam & ipſi per fortunam in omnia obnoxij, tamen quaſi ſecundum hominum genus ſunt, & in bona libertatis noſtræ adoptantur. Bellum Spartaco duce concitatum quo nomine adpellem neſcio.Quippe quum ſerui militauerint,gladiatores imperauerint,illi infimæ ſortis homines: hi peſſimam auxere ludibrio calamitatẽ. Spartacus,Chryſus, & Oenomaus, effracto Lentuli ludo,cum ſeptuaginta aut amplius eiuſdẽ fortunæ uiris eruperunt Capua, ſeruisq́ ad uexillum & ad auxilium uocatis, quum ſtatim decem amplius milia coiſſent hominum, non modo effugiſſe contenti,iam uindicari etiam uolebant. Prima uelut ara Iuris mons Veſuuius placuit,ibi quum etiam obſiderentur à Clodio Glabro per fauces caui montis uitigineis delapſi uinculis ad imas eius deſcendere radices,& exitu in uno nihil tale opinantis ducis ſubito impetu caſtra rapuere. Inde alia caſtra. Deinceps Thoram, totamq́ peruagantur Campaniam, nec uillarum atq́ uicorum uaſtatione contenti, Nolam,atq́ Nuceriam,Turios atq́ Metapontum terribili ſtrage populantur, affluentibus in diem copijs. Quum iam eſſet iuſtus exercitus, è uiminibus,pecudumq́ tegumentis inconditos ſibi clypeos, & ferro ergaſtulorũ recocto, gladios ac tela fecerũt. Ac ne quod decus iuſto deeſſet exercitui, domitis obuijs gregibus paratur equitatus,captáque de prætoribus inſignia, & faſces ad ducẽ detulere. Nec abnuit ille de ſtipendiario Thrace miles,de milite deſertor,inde latro,deinde in honore uirium gladiator,qui defunctorum quoque prælio ducum funera Imperatoris celebrauit exequijs, captiuosq́ circa rogum iuſſit armis depugnare, quaſi plane expiaturus omne præteritum dedecus, ſi de gladiatore munerator fuiſſet.Inde iam conſulares quoque aggreſſus, in Apennino Lentuli exercitum cecidit,apud Mutinam Caij Craſſi caſtra deleuit.Quibus elatus uictorijs,de inuadenda urbe Romana,quod ſatis eſt turpitudini noſtræ, deliberauit:tandem etiam totis uiribus contra Mirmilonem conſurgitur, pudoremq́ Romanum Licinius Craſſus aſſeruit, à quo pulſi fugatiq́ (pudet dicere hoſtes) in extrema Italiæ conſurrexerunt: ibi circa Brutium angulum cluſi,quum fugam in Siciliam pararent, neque nauigia ſuppeterent, ratesq́ ex cratibus, & dolia connexa uirgultis in rapidiſſimo freto fruſtra experi-

rentur: tandē eruptione facta, dignam uiris obiere mortem, & quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnatum est. Spartacus ipse in primo agmine fortissime dimicans quasi Imperator occisus est.

BELLVM CIVILE MARIANVM. CAP. XXI.

HOc deerat unū populi Romani malis, iam ut ipse intra se parricidiale bellum domi stringeret, & in urbe media ac foro, quasi arena ciues cum ciuibus suis gladiatorio more concurrerent. Æquiore animo utcūq; ferrem, si plebei duces, aut si nobiles, mali saltem, ducatū sceleri præbuissent. Quum uero (proh facinus) qui uiri? qui imperatores? decora & ornamenta seculi sui Marius & Sylla pessimo facinori suam etiam dignitatem præbuerunt, tribus, ut sic dixerim, syderibus agitatum est. Primo & leui & modico, tumultu maiore quàm bello, intra ipsos armorū duces subsistente sæuitia. Mox atrocius & cruentius per totius uiscera senatus grassante uictoria. Vltimum non ciuicam modo, sed hostilem quoq; rabiem supergressum est, quum armorū furor totius Italiæ uiribus niteretur, eousq; odijs sæuientibus, donec deessent qui occiderentur. Initium & causa belli, inexplebilis honorum Marij fames, dum decretam Syllę prouinciā Sulpitia lege solicitat. Sed impatiens iniurię statim Sylla legiones circumegit, dilatoq; Mithridate, Exquilina, Collinaq; porta geminum agmen urbi infudit. Vnde quum subito Sulpitius & Albinouanus obiecissent cateruas, sudesq;, & saxa undiq; à mœnibus ac tela iacerentur, ipse quoq; iaculatus incendio uiam fecit, arcemq; Capitolij, quæ Pœnos quoque, Gallos etiam Senonas euaserat, quasi captiuam uictor insedit. Tum ex senatus consulto, aduersarijs hostibus iudicatis, in præsentem tribunum aliosq; diuersæ factionis iure sæuitum est. Mariū seruilis fuga exemit, imò fortuna alteri bello reseruauit. Cornelio Cinna, Cneo Octauio consulibus male obrutum resurrexit incendium, & quidem ab ipsorum discordia, quum de reuocandis, quos senatus hostes iudicauerat, ad populum referret. Cincta quidem gladijs concione, sed uincētibus quibus pax & quies potior, profugus patria sua Cinna confugit ad partes: redit ab Africa Marius, clade maior, siquidem carcer, catenæ, fuga, exilium, horrificauerant dignitatem. Itaq; ad nomen tanti uiri late concurritur, seruitia (proh nefas) & ergastula armantur, & facile inuenit exercitum miser Imperator. Itaq; ui patriam reposcens, unde ui fuerat expulsus, poterat uideri iure agere, nisi causam suam sæuitia corrumperet. Sed quū dijs hominibusq; infestus rediret, statim primo impetu cliens, & alumna urbis Hostia, nefanda strage diripitur. Mox in urbem quadruplici agmine intratur: diuisere copias Cinna, Marius, Carbo, Sertorius. Hic postquā manus omnis Octauij depulsa Ianiculo est, statim ad principum cædem signo dato aliquanto sæuius, quàm aut in Punica, aut in Cymbrica urbe sæuitur. Octauij consulis caput pro rostris exponitur, Antonij consularis in Marij ipsius mensis. Cæsar & Fimbria in penatibus do-

morum

morũ ſuorum trucidantur. Craſſi pater & filius in mutuo alter alterius aſpe- ctu. Bebium atq; Numitorium per medium forum unci traxere carnificum. Catulus ſe ignis hauſtu ludibrio hoſtium exemit. Merula flamen Dialis in Capitolio Iouis ipſius oculos uenarum cruore reſperſit. Arquarius ipſo ui- dente Mario confoſſus eſt, quia fatalẽ illam ſcilicet manum nõ porrexerat ſa lutanti. Hæc tot ſenatus funera intra calendas & idus Ianuarij menſis, ſepti- ma illa Marij purpura dedit. Quid futurũ fuit, ſi annũ conſularis impleſſet? Scipione Norbanoq; conſulibus tertius ille turbo ciuilis inſaniæ toto furore detonuit: quippe quũ hinc VIII. legiones, inde quingentæ cohortes ſtarent in armis, inde ab Aſia cum uictore exercitu Sylla properat. Et ſanè quũ tam ferus in Syllanos Marius fuiſſet, quanta ſæuitia opus erat, ut Sylla de Mario uindicaret? Primũ apud Capuam ſub amne Vulturno ſigna concurrunt, & ibi ſtatim Norbani fuſus exercitus, ſtatim omnes Scipionis copiæ oſtentata ſpe pacis oppreſſæ. Tum Marius iuuenis, & Carbo cõſules, quaſi deſperata uictoria, ne multi perirẽt, ſanguine ſenatus ſibi parentabant, obſeſſaq; curia, ſic de ſenatu quaſi de carcere, qui iugularẽtur educti. Quid funerum in foro, in circo, in patentibus templis? Nam quũ Mutius Scæuola pontifex Veſta- les amplexus aras, tantũ nõ eodẽ igne ſepelit, Lamponius atq; Theleſinus Samnitũ duces atrocius Pyrrho & Hannibale Campaniã Hetruriamq; po pulantur, & ſub ſpecie partiũ ſe uindicãt. Apud Sacriportũ, Collinamq; por tam debellatæ omnes hoſtiũ copiæ. Ibi Marius, hic Theleſinus oppreſſi, nec idem tamen cædiũ, qui bello finis fuit. Stricti enim & in pace gladij, animad uerſumq; in eos, qui ſe ſponte dederant. Nõ minus eſt, quod apud Sacripor tum, apud Collinã LXX. amplius milia Sylla concidit. Bellũ erat: quatuor milia deditorũ inermiũ ciuiũ in uia publica interfici iuſſit: iſti tot in pace non plures ſunt. Quis autẽ illos poteſt computare, quos in urbe paſſim quiſquis uoluit, occidit? donec admonente Furfidio uiuere aliquos debere, ut eſſent quibus imperarent, propoſita eſt ingens illa tabula, & ex ipſo equeſtris ordi- nis flore ac ſenatu duo milia electi qui mori iuberent: noui generis edictum piget poſt hæc referri, ludibrio abdita fata Carbonis, fata Sorani prætoris, atq; Venuleij. Bebium ſine ferro ritu ferarũ inter manus laceratum, Marium ducis ipſius fratrem apud Catuli ſepulchrũ, oculis, manibus, cruribusq; defoſ ſis, ſeruatum aliquandiu, ut per ſingula membra moreretur, poſitis ſingulorũ hominum ferè pœnis. Municipia Italiæ ſplendidiſſima ſub haſta uenierunt, Spoletũ, Interamnũ, Præneſte, Fluentia: nam Sulmonẽ uetus oppidũ ſociũ atq; amicũ, facinus indignũ, nondum expugnatũ, ut obſides iure belli, & mo do morte damnati duci iubentur: ſic damnatam ciuitatẽ iuſſit Sylla deleri.

BELLVM SERTORIANVM. CAPVT XXII.

Bellum Sertorianum quid aliud, quàm Syllanę proſcriptionis hæreditas fuit? hoſtile potius an ciuile dixerim neſcio, quippe quod Luſitani, Celti *Sertorius*

bericꝗ Romano gesserint duce. Exul, & profugus feralis illius tabulæ uir, summæ quidẽ, sed calamitosæ uirtutis, malis suis maria terrasꝗ permiscuit, etiam Africa iam, & Balearibus insulis fortunã expertus, missusꝗ in oceanũ fortunatas insulas penetrauit: tandẽ Hispaniã armauit, ubi uir cum uiris facile cõuenit, nec aliter magis apparuit Hispani militis uigor, quàm Romano duce: quanquam ille non contentus Hispania, ad Mithridatem quoꝗ Ponticosꝗ respexit, regẽꝗ classe iuuit. Et quid futurũ fuit satis tanto hosti? Vno Imperatore resistere res Romana non potuit, additus Metello Cneus Pompeius: hi copias uiri diu & ancipiti semper acie attriuere, nec tamen prius bello quàm suorum scelere & insidijs extinctus. Copias eius propè tota Hispania persequuti, diu & ancipiti semper acie domitauerunt. Prima per legatos certamina habita, quum hic Domitius & cohortes, inde Herculeij præluderent, mox his apud Segoniam, illis apud Anam flumen oppressis, ipsi duces cominus inuicem experti, apud Lauronem atꝗ Sucronem ęquauere clades. Tum illis ad populationem agrorũ, his ad urbiũ excidia conuersis, misera inter Romanos duces Hispania discordiæ pœnas dabat, donec oppresso domestica fraude Sertorio, uicto deditoꝗ Perpenna, ipsę quoꝗ in Romanam fidem uenere urbes Osca, Terme, Tutia, Valentia, Auxima, & in fame nihil nõ experta Calagurris. Sic recepta in pacẽ Hispania, uictores duces externũ id magis, quàm ciuile bellum uidere uoluerunt, ut triumpharent.

BELLVM CIVILE SVB LEPIDO. CAP. XXIIII.

Marco Lepido, Quinto Catulo consulibus, ciuile bellum penè citius oppressum est quàm inciperet. Sed quantum, lateꝗ fax illius motus ab ipso Syllæ rogo exarsit? Cupidus nanꝗ rerum nouarum per insolentiã Lepidus, acta tanti uiri rescindere parabat, nec immerito, si tamen posset sine magna clade Reipub. Nam quũ iure belli Sylla dictator proscripsisset inimicos, qui supererant, reuocante Lepido, quid aliud, quàm ad bellum uocabantur? quum damnatorũ ciuium bona addicente Sylla, quamuis male capta, iure tamen repetitio eorum proculdubio labefactabat compositam ciuitatem. Expediebat ergo quasi ægrę sauciæꝗ Reipub. requiescere quomodocunꝗ, ne uulnera curatione ipsa rescinderentur. Ergo quũ turbidis concionibus uelut classico ciuitatem terruisset, profectus in Hetruriam, arma inde & exercitum urbi admouerat. Sed iam Miluium pontem, collemꝗ Ianiculum Luctatius Catulus, Cneus Pompeius, Syllanæ dominationis duces atꝗ signiferi alio exercitu insederant. A quibus primo statim impetu retro pulsus, hostisꝗ à senatu iudicatus, incruenta fuga in Hetruriã, inde Sardiniam recessit. Ibi quoque morbo & pœnitentia interijt. Victores, quod non tenuere alijs in ciuilibus bellis, pace contenti fuerunt.

LVCII FLORI EPITOMES LIBER QVARTVS.

BELLVM CATILINAE. CAPVT PRIMVM.

CATILINAM luxuria primum, tum hinc conflata egeſtas rei familiaris, ſimul occaſio, quod in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabant, in nefaria conſilia opprimendæ patriæ ſuæ compulere, ſenatum confodere, conſules trucidare, diſtringere incendijs urbem, diripere ærarium, totam deniq; rempublicam funditus tollere, & quicquid nec Hannibal uideretur optaſſe. Quibus id nefas ſocijs aggreſſus eſt? Ipſe patricius, ſed hoc minus eſt. Curij, Portij, Syllæ, Cethegi, Antonij, Varguntei, atq; Longini, quæ familiæ? quæ ſenatus inſignia? Lentulus quoq; tunc maxime prętor, hos omnes immaniſſimi facinoris ſatellites habuit. Additum eſt pignus coniurationis ſanguis humanus, quem circumlatum pateris bibêre: ſummum nefas, niſi amplius eſſet, propter quod biberunt. Actum erat de pulcherrimo imperio, niſi illa coniuratio in Ciceronem & Antonium conſules incidiſſet, quorum alter induſtria rem patefecit, alter manu oppreſſit. Tanti ſceleris indiciũ per Fuluiam emerſit uiliſſimũ ſcortũ, ſed parricidij innocens. Conſul habito ſenatu in præſentem parricidã reum Cicero perorauit. Sed non amplius profectũ, quàm ut hoſtis euaderet, ſeq; palàm profeſſo, incendiũ ſuum reſtincturum ruina minaretur. Et ille quidẽ ad præparatum à Manlio in Hetruria exercitu proficiſcitur, ſigna illaturus urbi. Lentulus deſtinatum familiæ ſuæ Sibyllinis uerſibus regnum ſibi uaticinãs, ad præſtitutũ à Catilina diem urbe tota uiros, faces, tela diſponit. Nec ciuili conſpiratione contentus, legatis Allobrogum, qui tum forte aderãt, in arma ſollicitatis. Et iſſet ultra Alpes furor, niſi altera proditione Vulturij prætoris literæ tenerentur. Statim Ciceronis imperio iniecta eſt barbaris manus. Palàm prætor in ſenatu cõuincitur. De ſupplicio agentibus Cæſar parcendum dignitati, Cato animaduertendũ pro ſcelere cenſebat. Quam ſententiam ſequutis omnibus, in carcere parricidæ ſtrangulantur. Quamuis parte coniurationis oppreſſa, tamen ab incœpto Catilina non deſtitit, ſed infeſtis ab Hetruria ſignis, patriã petens obuio Antonij exercitu opprimitur. Quàm atrociter dimicatum ſit exitus docuit. Nemo hoſtium bello ſuperfuit: quem quis in pugnando ceperat locum, eum amiſſa anima, corpore tegebat. Catilina longe à ſuis inter hoſtium cadauera repertus eſt, pulcherrima morte, ſi pro patria ſic concidiſſet.

BELLVM CAESARIS ET POMPEI. CAP. II.

IAm penè toto orbe pacato, maius erat imperium Romanum, quàm ullis externis uiribus extingui posset. Itaq; inuidens fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium suũ armauit: ac Mariana quidẽ, Cinnanaq; rabies intra urbem præcluserat, quasi experiretur. Syllana tempestas latius intra Italiam tum detonuerat. Cæsaris furor atq; Pompei, urbem, Italiã, gentes, nationes, totum deniq; quâ patebat imperiũ, quodam quasi diluuio, & cum inflammatione corripuit, adeo ut non recte tantum ciuile dicatur, ac ne sociale quidem, sed nec externum, sed potius cõmune quoddã ex omnibus, & plus quàm bellũ. Quippe si duces eius inspicias, totus senatus in partibus. Si exercitus, hinc XI. legiones: inde XVIII. Flos omnis & robur Italici sanguinis. Si auxilia sociorũ, hinc Gallici Germaniq; delectus: inde Deiotarus, Ariobarzanes, Tarchon, Dimotus Corinthius, omne Thraciæ, Cappadociæq;, Ciliciæ, Macedoniæ, Græciæ, Italiæ, totiusq; robur Orientis. Si morã belli, quatuor annis, & pro clade rerũ, breue tempus. Si locum & spatium ubi cõmissum est, intra Italiã, inde se in Galliã Hispaniãq; deflexit. Reuersumq; ab occasu, totis uiribus in Epiro Thessaliaq; consedit, hinc in Ægyptum subito transiliit. Inde respexit Asiam, Africæ incubuit. Postremo in Hispaniã remigrauit, & ibi aliquando defecit. Sed non & odia partiũ finita cum bello. Non enim prius quieuere, quàm in urbe ipsa, medio senatu eorum, qui uicti erant odia uictoris sese cæde satiarent. Causa tantæ calamitatis eadem quæ omnium, nimia felicitas. Siquidem Quinto Metello, & Lucio Afranio consulibus, quũ Romana maiestas toto orbe polleret, recentesq; uictorias, Ponticos & Armenios triũphos, in Pompeianis theatris Roma cantaret, nimia Pompei potentia apud ociosos (ut solet) ciues mouit inuidiam. Metellus ob imminutum Cretæ triumphum, Cato aduersus potentes semper obliquus, detrectate Pompeium, actisq; eius obstrepere. Hic dolor transuersum egit, & ad præsidia dignitati paranda impulit. Forte tunc Crassus genere, diuitiis, dignitate florebat, uellet tamen auctiores opes. Caius Cæsar eloquentia, & spiritu, & iam consulatu alleuabatur. Pompeius tamen super utrunque eminebat. Sic igitur Cæsare dignitatem comparare, Crasso augere, Pompeio retinere cupientibus, omnibusq; pariter potentiæ cupidis, de inuadenda Repub. facile conuenit. Ergo quũ mutuis uiribus in suum quisq; decus niteretur, Galliam Cæsar inuadit, Crassus Asiam, Pompeius Hispaniam: tres maximos exercitus: & iam sic orbis imperium, societate trium principũ occupat'. decem annos traxit ista dominatio. Exinde quoniã mutuo metu tenebant', Crassi morte apud Parthos, & morte Iuliæ Cæsaris filiæ, quæ nupta Pompeio, generi, soceriq; concordiã matrimonii fœdere tenebat, statim æmulatio erupit. Iã Pompeio suspectæ Cæsaris opes, & Cæsari Pompeiana dignitas grauis, nec hic ferebat parẽ, nec ille superiorẽ (nefas) sic de principatu laborabant, tanquã

bant,tanquam duos tanta imperij fortuna non caperet.Ergo Lentulo,Marcelloq́ consulibus rupta prima coniurationis fide, de successione Cæsaris senatus,idemq́ Pompeius agitabat:nec ille abnuebat,si ratio sui proximis comitijs haberetur consulatus,absenti quem decē tribus fauente Pompeio nuper decreuerant. Tum dissimulante eodem negabant,ueniret,& peteret maiorum more. Ille contrà flagitare decreta, ac nisi in fide permanerent,non se dimissurum exercitum . Ergo ut in hostem decernitur. His Cæsar agitatus, statuit præmia armorū armis defendere. Prima ciuilis belli arena,Italia fuit, cuius arces leuibus præsidijs Pompeius insederat,sed omnia subito Cæsaris impetu oppressa sunt.Prima Arimino signa cecinerunt.Tum pulsus Hetruria Libo, Vmbria Thermus, Domitius Corfinio, & peractum erat bellum sine sanguine,si Pompeium Brundusij opprimere,ut cœperat,potuisset.Sed ille per obsessi claustra portus, nocturna fuga euasit(turpe dictu)modo princeps patrum pacis bellíq́ moderator,per triumphatum à se mare,lacerata & penè inermi naui fugiebat . Nec Pompeius ab Italia,quàm senatus ab urbe fugatur prior,quam penè uacuam metu Cæsar ingressus,consulem se ipse facit.Ærarium quoque sanctum, quod quia tardius aperiebant Tribuni,iussit effringi,censumq́ & patrimonium populi Romani ante rapuit quàm imperium . Pulso fugatoq́ Pompeio , maluit prius ordinare prouinciam quàm ipsum sequi.Siciliam & Sardiniam annonæ pignora,per legatos habuit.Nihil hostile erat in Gallia , pacem ipse fecerat . Sed ad Hispanienses Pompei exercitus transeunti per eam duci portas claudere ausa Massylia est. Misera dum cupit pacem,belli metu in bellum incidit:sed quia tutis muris erat,uinci eam sibi iussit absenti. Græcula ciuitas non pro mollicia nominis, & uallum cædere,& incēdere machinas ausa,& congredi nauibus.Sed Brutus,cui mandatum erat bellum , uictos terra mariq́ perdomuit : mox dedentibus sese ablata omnia, præter quam potiorē omnibus habebant libertatē . Anceps, uariumq́ , & cruentum in Hispania bellum , cum legatis Cnei Pompei Petreio,& Affranio,quos Ilerdæ castra habentes,apud Sycorim amnem obsidere,& ab oppido intercludere aggreditur. Interim ab undatione uerni fluminis , commeatibus prohibet: sic fame castra tentata sunt , obsessorq́ ipse quasi obsidebat. Sed ubi pax fluminis redit,populationibus & pugna campos aperuit . Iterum ferox instat , & cedentes ad Celtiberiam consequutus, aggere & uallo,& per hæc siti ad deditionem compulit.Sic citerior Hispania recepta est,nec ulterior moram fecit.Quid enim una post quinque legiones? Itaque ultro cedente Varrone , Gades, fretum,Oceanus, omnia felicitatem Cæsaris sequebantur . Aliquid tamen aduersus absentem ducem ausa fortuna est.Circa Illyricum,& Africam,quasi de industria prospera eius aduersis raderentur . Quippe quum fauces Adriatici maris iussi occupare Dolobella & Antonius, ille Illyrico , hic Corcyræo littore castra posuissent , iam

Aerariū sanctum, de quo Budæus in annot.pand.

maria late tenente Pompeio, repente castra legatus eius Octauius Libo ingentibus copijs classicorum utrunque circunuenit. deditionem fames extorsit Antonio. Missæ quoque à Basilo in auxilium eius rates, quales inopia nauium fecerat, noua Pompeianorũ arte Cilicũ, actis sub mare funibus captæ, quasi per indaginem: duas tamen æstus explicuit: una, quæ Opiterginos ferebat, in uadis hæsit, memorandumque posteris exitum dedit. Quippe uix mille iuuenum manus, circunfusi undique exercitus per totum diem tela sustinuit, & quum exitum uirtus non haberet, tamen ne in deditionem uenirẽt hortante tribuno Vulteio mutuis ictibus in se cõcurrũt. In Africa quoque par & uirtus, & calamitas Curionis fuit, qui ad recipiendam prouinciam missus, pulso fugatoque Varrone iam superbus, subitum Iubæ regis aduentum, equitatumque Maurorũ sustinere non potuit. Patebat uicto fuga, sed pudor suasit, ut amissum sua temeritate exercitum morte sequeretur. Sed iam debitum pari fortuna flagitante, sedem bello Pompeius Epiron elegerat. Nec Cæsar moratus, quippe ordinatis à tergo omnibus, quamuis hyems media prohiberet tempestate, ad bellum nauigauit, positisque ad Oricum castris, quũ pars exercitus ob inopiam nauium cum Antonio dimissa, Brundusij moram faceret, adeo impatiens erat, ut ad arcessendos eos, ardente uentis mari, nocte concubia, speculatorio nauigio, solus ire tentauerit. Extat ad trepidum tanto discrimine gubernatorem uox ipsius: Quid times? Cæsarem uehis. Contractis in unũ undique omnibus copijs, positisque cominus castris, diuersa erant ducum consilia. Cæsar pro natura ferox, & cõficiendę rei cupidus, ostentare aciẽ, prouocare, lacessere, nunc obsidione castrorum, quæ erãt sexdecim milium uallo obducta (Sed quid his obesset obsidio, qui patente mari omnibus copijs abundarent?) nũc expugnatione Dyrrachij irrita, quippe quam uel situs inexpugnabilem faceret: ad hoc assiduis in eruptionem hostium prælijs. Quo tempore egregia uirtus Scæuæ centurionis emicuit, cuius in scuto centũ atque uiginti tela sedere. Iam uero direptione urbium sociarum quum Oricum & Gomphos, & alia castella Thessaliæ uastarent, Pompeius aduersus hæc nectere moras, tergiuersari simul, ut hostẽ interclusum undique inopia cõmeatuum terreret, utque ardentissimi ducis cõsenesceret impetus. Nec diutius profuit duci salutare consilium. Milites otium, socij moram, principes ambitum ducis increpabant. Sic præcipitantibus fatis, prælio functa est Thessalia, & Philippicis campis, urbis imperij, generis humani fata commissa sunt. Nunquam ullo loco tantũ uirium. Populus Ro. tantum dignitatis fortuna uidit. Trecenta amplius milia hinc & illinc præter auxilia regum & senatus. Nunquam imminentis ruinæ manifestiora prodigia, fuga uictimarũ exanima, insignes interdiu tenebræ. Dux ipse, & nocturna imagine theatri sui audiẽs plausum in modum planctus circumsonare, & mane cum pullo amiculo (nefas) apud principia conspectus est. Nunquam acrior, neque alacrior exercitus

Scæua.

Distributio elegans.

Prosonomasia

Cæsaris

Cæſaris fuit. Inde claſſica prius, inde tela: annotatũ quoq; cõmittentis aciem Craſtini pilum, qui mox adacto in os gladio, ſic inter cadauera repertus, libidinem ac rabiem, qua pugnauerat, ipſa nouitate uulneris præferebat. Sed nec minus admirabilior illius exitus belli. Quippe quum Pompeius adeo equitum copia abundaret, ut facile circunuenturus ſibi Cæſarem uideretur, circunuentus ipſe eſt. Nam quũ diu æquo marte contenderet, iuſſuq; Pompei fuſus à cornu erupiſſet equitatus, repente hic ſigno dato, Germanorũ cohortes tantũ in effuſos equites fecere impetũ, ut illi eſſe pedites, hi uenire in equis uiderentur. Hanc ſtragem fugientis equitatus leuis armaturæ ruina comitata eſt. Tunc terrore latius dato turbantibus inuicem copijs, reliqua ſtrages quaſi una manu facta eſt. Nec ulla res magis exitio fuit, quàm ipſa exercitus magnitudo. Multus in eo prælio Cæſar fuit, mediusq; inter Imperatorem & militem, uoces quoq; obequitantis exceptæ, altera cruenta, ſed docta & ad uictoriã efficax: Miles, faciẽ feri: altera ad iactationẽ compoſita: Parce ciuibus: quũ ipſe ſequeret. Felicem utcũq; in malis Pompeiũ, ſi eadem ipſum quæ exercitum eius fortuna traxiſſet. ſuperſtes dignitati ſuæ uixit, ut quum maiore dedecore per Theſſalica Tempe equo fugeret, pulſus †Hearis in deſerto Ciliciæ ſcopulo, fugam in Parthos, Africam uel Ægyptum agitaret: ut deniq; in Peluſiaco littore, imperio uiliſſimi regis, conſilijs Spadonum, & ne quid malis deſit, Septimij deſertoris ſui gladio trucidatus, ſub oculis uxoris ſuæ liberorumq; moreretur. Quis nõ peractum eſſe cum Pompeio crederet bellum? Atqui acrius multo atq; uehementius Theſſalici incendij cineres recaluere, & in Ægypto quidem aduerſus Cæſarẽ ſine partibus bellũ. Quippe quum Ptolemæus rex Alexandriæ ſummum ciuilis belli ſcelus peregiſſet, fœdusq; amicitiæ cum Cæſare medio Pompeij capite ſanxiſſet, ultionem clariſſimi uiri manibus, quærente fortuna cauſa non defuit. Cleopatra regis ſoror affuſa Cæſaris genibus, partem regni repoſcebat. Aderat puellæ forma, & quę duplicaretur ex illo, quod talis paſſa uidebatur iniuriam. Odium ipſius regis, qui Pompei cædem partium fato, non Cæſari dederat, haud dubie idem in ipſum auſurus ſi expediſſet. Quam ubi Cæſar reſtitui iuſſit in regnum, ſtatim ab eiſdem percuſſoribus Pompeij obſeſſus in regia, quamuis exigua manu, ingentis exercitus molem mira uirtute ſuſtinuit. Ac primum ædificiorum proximorum atq; naualium incendio, infeſtorum hoſtium tela ſubmouit. Mox peninſulam Pharon ſubitus euaſit. Inde depulſus in maria mira felicitate ad proximam claſſem enatauit, relicto quidem in fluctibus paludamento, ſeu fato, ſeu conſilio, ut illud ingruentibus hoſtiũ telis, ſaxisq; peteretur. Tamen receptus à claſſicis ſuis, undique ſimul hoſtes adortus, de imbelli ac perfida gente iuſta generi manibus dedit. Quippe & Theodotus magiſter, autor totius belli, & ne uirilia quidem portenta, Photinus atque Ganymedes, diuerſi per mare, & transfugio, & morte conſumpti. Re-

Craſtinus.

als, Lariſſa

gis ipsius corpus obrutum in limo repertum est in aureæ loricæ honore. In Asia quoque nouus rerum motus à Ponto, planè quasi de industria captante fortuna hunc Mithridatico regno exitũ, ut à Pompeio pater, à Cæsare filius uinceretur. Rex Pharnaces magis discordiæ nostræ fiducia quàm uirtutis suæ, infesto in Cappadociã agmine ruebat. Sed hũc Cæsar aggressus, uno (& ut sic dixerim) non toto prælio obtriuit more fluminis, quod uno eodemque momento uenit, percussit, abscessit. Nec uana de se prædicatio est Cæsaris, ante uictum hostem esse, quàm uisum. Sic cum exteris. At in Africa cum ciuibus multo atrocius quàm in Pharsalia. Huc reliquias partium naufragi quidam furoris æstus expulerat. Nec reliquias diceres, sed integrum bellum. Sparsæ magis, quàm oppressæ uires erant. Auxerat sacramentum ipsa clades Imperatoris. Nec degenerabat ducum successio. Quippe satis ample sonabant in Pompeiani nominis locum, Cato & Scipio. Accessit copiis Mauritanus rex Iuba, uidelicet ut latius uinceret Cæsar. Nihil ergo inter Pharsaliam & Thapson, nisi quod amplior, eoque acrior Cæsarianorum impetus fuit, indignantium post Pompeium creuisse bellum. Denique quod aliter nunquã ante imperium ducis sua sponte signa cecinerunt. Strages à Iuba cœpit. Et elephanti bellorum rudes, & nuper à sylua, consternati subito clangore, statim & exercitus in fugam, & duces fortius quàm ut effugerent, non inconspicua tamen morte omnium. Iam Scipio naue fugiebat, & assequutis hostibus, gladiũ per uiscera exegit, & ubi esset quodam requirente, respondit hoc ipsum, Bene se habet Imperator. Iuba quũ se recepisset in regiã magnifice epulatus, postero die cum Petreio fugæ comite, superque mensas & pocula interficiendum se ei præbuit. Ille & regi suffecit & sibi, quum interim semesi in medio cyphi & parentalia fercula regio simul Romanoque sanguine madebant. Cato nõ interfuit bello, positisque ad Bragadã castris, Vticã uelut altera Africæ claustra seruabat. Sed accepta partium clade nihil cunctatus (ut sapiente dignũ erat) mortem etiam lætus acciuit. Nam postquam filium comitesque ab amplexu dimisit, in nocte lecto ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatẽ animæ docet, paulũ quieuit, tum circa primã uigiliam stricto gladio reuelatũ manu pectus semel iterumque percussit. Ausi post hoc uirũ medici uiolare fomẽtis. Ille passus dũ abscederent, rescidit plagas, sequutaque uis sanguinis moribundas manus in ipso uulnere reliquit. Quasi non esset usquam dimicatum, sic arma rursus & partes: quantoque Africa supra Thessaliam fuit, tanto Africã superabat Hispania, plurimumque fauoris partibus dabat fraternitas ducum, & pro uno duos stare Pompeios. Itaque nusquam atrocius, nec tam ancipiti marte cõcursum est. Primũ in ipso ostio oceani Varus, Didiusque legati conflixere. Sed acrius fuit cum ipso mari, quàm inter se nauibus bellũ. Siquidẽ uelut furorem ciuium castigaret Oceanus, utramque classem naufragio cecidit. Quinam ille horror? quũ eodem tẽpore fluctus, procellæ, armamenta cõfligerẽt,

Cato sibi consciscit mortẽ

adde ſitus ipſius formidinem uergentia in unum,hinc Hiſpaniæ,inde Mauritanæ littora, mare & inteſtinum & externum,imminentesq́ Herculis ſpeculas. Quũ omnia undiq; ſimul prælio & tempeſtate ſæuirẽt, mox circa obſidiones urbium utrinq; diſcurſum eſt, quæ miſeræ inter hos atq; illos duces ſocietatis Romanæ pœnas dabant. Omniũ poſtrema certaminũ Munda. Hic non pro cætera felicitate, ſed anceps & diu triſte prælium, ut planè uideretur neſcio quid deliberare fortuna. Sanè & ipſe ante aciem mœſtior nõ ex more Cæſar,ſiue reſpectu fragilitatis humanæ, ſiue nimiam proſperorũ ſuſpectam habens continuationẽ,uel eadẽ timens,poſtquam idem eſſe cœperat quod Pompeius. Sed in ipſo prælio,quod nemo unquã meminerat,quũ diu pari Marte acies nihil aliud ꝗ̃ occiderent, in medio ardore pugnantiũ ſubito ingens inter utrosq; ſilentiũ, quaſi cõueniſſent, hic omniũ ſenſus erat: nouiſſime illud inuſitatũ Cæſaris oculis.(nefas) poſt XIIII.annos probata ueteranorũ manus gradũ retro dedit, quod & ſi nondũ fugerat, apparebat tamen pudore magis quàm uirtute reſiſtere. Itaq; ablegato equo,ſimilis furenti primã in aciẽ procurrit. Ibi prenſare fugientes, confirmare, per totum deniq; agmen oculis,manibus,clamore uolitare. Dicit̃ in illa perturbatione, & de extremis agitaſſe ſecũ, & ita manifeſto uultu fuiſſe,quaſi occupare manu mortẽ uellet, niſi cohortes hoſtiũ quinq; per tranſuerſam aciẽ actæ, quas Labienus periclitantibus caſtris præſidio miſerat, fugæ ſpeciẽ præbuiſſent. Hoc aut & ipſe credidit, aut dux callidus attribuit in occaſionẽ,& quaſi fugientem inuectus,ſimul & ſuorũ erexit animos,& hoſtes perculit. Nã hi dum ſe putant uincere, fortius ſequi:inde Pompeiani dum fugere credunt ſuos,fugere cœperũt.Quanta fuerit hoſtium cædes,ira,rabiesq; uictoribus, ſic æſtimari poteſt. Hoc à prælio profugi quum ſe Mundæ recepiſſent, & Cæſar obſideri ſtatim uictos imperaſſet, congeſtis cadaueribus agger effectus eſt, quæ pilis,iaculisq; cõfixa inter ſe tenebant̃,fœdum etiã inter barbaros. Sed uidelicet uictoriam deſperantibus Pompei liberis, Cneum prælio profugũ, crure ſaucio deſerta & auia petentẽ Cenonius apud Laurone ̃ oppidũ conſequutus pugnantẽ,nondum deſperantem interficit. Sextum fortuna in Celtiberia interim abſcondit,alijsq; poſt Cæſarem bellis reſeruauit.Cæſar in patriã uictor inuehit̃,primũ de Gallia triumphũ tranſmiſerat Rhenus,Rhodanus,& ex auro captiuus Oceanus. Altera laurus Ægyptia tũc in ferculis Nilus,Arſinoë, & ad ſimulachrũ ignium ardens Pharus. Tertius de Pharnace currus,& Ponto.Quartus Iubã & Mauros,& his ſubactam oſtendebat Hiſpaniã.Pharſalia, & Thapſos, & Munda nuſq̃, & quanto maiora erant de quibus nõ triũphabat?Hic aliquãdo finis armis fuit.Reliqua pax incruenta, penſatũq́ clementia bellũ : nemo cæſus imperio præter Affraniũ:ſatis ignouerat ſemel,& Fauſtũ Syllã didicerat generoſum timere,filiãq́ Põpei cũ patruelibus ex Sylla.hic poſteris cauebat̃. Itaq; nõ ingratis ciuibus oẽs unũ in

principem

principem congesti honores, circa templa imagines, in theatro distincta radijs corona, suggestus in curia, fastigiũ in domo, mẽsis in cœlo, ad hoc pater ipse patriæ, perpetuusq; dictator. Nouissime dubiũ an ipso uolente, oblata pro rostris ab Antonio cõsule regni insignia. Quæ omnia uelut infulæ in destinatam morti uictimam congerebantur. Quippe clementiã principis uicit inuidia, grauisq; erat liberis ipsa beneficiorum potentia. Nec diutius dilatio donata est. Sed Brutus & Cassius, alijq; patritij consenserũt in cædem principis. Quanta uis fati. Manauerat late coniuratio, libellus etiã Cæsari datus eodẽ die, nec perlitare centũ uictimis potuerat: uenit in curiam tamen expeditionẽ Parthicã meditans: ibi in curuli sedentẽ eum senatus inuasit, tribusq; & uiginti uulneribus ad terrũ datus est. Sic ille qui terrarũ orbem ciuili sanguine impleuerat, tandem ipse sanguine suo curiam impleuit.

CAESAR AVGVSTVS. CAPVT III.

POpulus Romanus Cæsare & Pompeio trucidatis, redijsse in statum pristinæ libertatis uidebatur: & redierat, nisi aut Pompeius liberos, aut Cæsar hæredem reliquisset: uel quod utroque perniciosius fuit, si non collega quondam, mox æmulus, Cæsarianæ potentiæ fax, & turbo sequentis seculi superfuisset Antonius. Quippe dum Sextus paterna repetit, trepidatum toto mari, dum Octauius mortem patris ulciscitur. Iterum fuit mouẽda Thessalia, dum Antonius uarius ingenio, aut successorem Cæsaris indignatur Octauium, aut amore Cleopatræ desciscit in regem: nam aliter saluus esse nõ potuit, nisi confugisset ad seruitutem. Gratulandum tamen in tanta perturbatione est, quod potissimum ad Octauium Cæsarem Augustum summa rerum redijt, qui sapientia sua atque solertia, perculsum undiq; & perturbatum ordinauit imperij corpus, quod ita haud dubie nunquã coire & consentire potuisset, nisi unius præsidis nutu quasi anima & mente regeretur. Marco Antonio & Publio Dolobella consulibus, imperiũ Romanũ iam ad Cæsares transferẽte fortuna, uarius & multiplex motus ciuitatis fuit, quodq; in annua cœli cõuersione fieri solet, ut mota sydera tonent, ac suo flexu tempestatem significent: sic quum Romanæ dominationis, id est, humani generis conuersione penitus intremuit, omniq; genere discriminũ, ciuilibus, terrestribus ac naualibus bellis omne imperij corpus agitatum est.

BELLVM MVTINENSE. CAPVT IIII.

PRima ciuilium motuum causa testamẽtum Cæsaris fuit, cuius secundus hæres Antonius prælatum sibi Octauium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi iuuenis susceperat bellum. Quippe quum intra decem & octo annos tenerum, obnoxium, & opportunum iniuriæ iuuenem uideret, ipse planẽ,† & cõmilito Cęsaris dignitatem, & furtis hæreditatẽ laceraret, ipsum insectari probris, & cunctis artibus cooptationem Iuliæ gentis quum inhibere

al's. conuicijs

inhibere non desineret: deniq; ad deprimendum iuuenem, palam arma moliri, & parato exercitu in Cisalpina Gallia resistentem motibus suis Decium Brutum obsidebat. Octauius Cæsar ætate & iniuria fauorabilis, & nominis maiestate, quod sibi induerat, reuocatis ad arma ueteranis, priuatus (qs crederet?) consulē aggreditur, obsidione Mutinæ liberat Brutū, Antoniū exuit castris, tum quidem etiam manu pulcher apparuit. Nam cruentus, & saucius aquilam à moriente signifero traditam, suis humeris in castra referebat.

TRIVMVIRATVS. CAPVT V.

QVum solus etiam grauis paci, grauis reipublicæ esset Antonius, quasi ignis incendio Lepidus accessit, quia contra duos exercitus necesse fuit uenire in cruentissimi fœderis societatē, diuersa omnium† nota incendia. Lepidum diuitiarum cupido, quarum spes ex turbatione reipublicæ, Antoniū ultiones de his, qui se hostem iudicassent, Cæsarē inultus pater, & manibus eius graues Cassius & Brutus agitabant. In hoc uelut fœdus, pax inter tres duces componitur, apud confluentes inter Perusiam & Bononiam iungunt manus, & exercitus consalutant, nullo bono more Triumuiratus inuaditur. Oppressa armis republica, redit Syllana proscriptio, cuius atrocitas nihil in se minus habet quàm numerum C X L. senatorum: exitus fœdi, truces, miserabiles, toto terrarum orbe fugientium. Pro quibus quis pro indignitate rei non ingemiscat? Quum Antonius concedente Cæsare auunculum suum, Lepidus Lutium Paulum suum fratrem proscripserit. Romæ capita cæsorum proponere in rostris iam usitatum erat. Verum sic quoq; ciuitas lachrymas tenere non potuit, quū resciffum Ciceronis caput in illis suis rostris uideret, nec aliter ad uidendum eum, quàm solebat ad audiendū concurreretur. Hæc scelera in Antonij Lepidiq; tabulis. Cæsar percussoribus patris contentus fuit. Hæc quoq; nisi† ulta fuisset, etiam iusta cædes haberetur.

al's. uoto

Ciceronis caput p rostris positum

al's. multa

BELLVM CASSII ET BRVTI CAPVT VI.

BRutus & Cassius sic Cæsarem, quasi Tarquiniū regem depulisse regno uidebant. Sed libertatem quam maxime restitutam uoluerunt, illo ipso parricidio perdidere. Igitur cæde perfecta, quum ueteranos Cæsaris nec immerito timerent, statim è curia in Capitolium confugerāt. Nec illis ad ultionem deerat animus, sed ducem non habebant. Igitur quum appareret quæ strages Reipub. immineret, displicuit ultio cū cōsulis abolitione decreta. Ne tamen publici doloris oculos ferrent, in prouincias ab illo ipso, quē occiderāt Cæsare datas, Syriā & Macedoniā concesserant. Sic uindicta Cæsaris dilata potius q̄ oppressa est. Igit̄ ordinata magis ut poterat, q̄ ut decebat in Triumuiros republica, relicta ad urbis præsidiū Lepido, Cæsar cū Antonio in Cassiū Brutumq; succingit̄. Illi cōparatis ingentibus copijs, eandē illā, quæ fatalis Gn. Pompeio fuit, arenam insederāt. Sed nec tum imminentia cladis

destinatæ signa latuere. Nam & assuetæ cadauerum pabulo uolucres, castra quasi iam sua circumuolabant. In acie prodeuntibus obuius Æthiops nimis aperte, ferale signum fuit. Ipsiq; Bruto per noctē quū illato lumine ex more aliqua secum agitaret, atra quædā imago se obtulit, & quæ esset interrogata, tuus, inquit, malus Genius: hoc dixit, & sub oculis mirantis euanuit. Pari in meliora præsagio in Cæsaris castris omnia, aues, uictimæq; promiserāt. Sed nihil illo præsentius, quàm Cæsaris medicus somnio admonitus, ut Cæsar castris excederet, quibus capi imminebat, ut factum est. Acie nanq; cōmissa quū pari ardore aliquandiu dimicatū foret, & quamuis duces nō essent tunc præsentes, quū alterū corporis ægritudo, illū metus & ignauia subduxissent, staret tamen pro partibus inuicta fortuna, & ultoris, & qui uindicabatur. Primum adeo anceps fuit, & par† utrunq; discrimen, ut exitus prælij docuit. Capta sunt hinc Cæsaris castra, inde Cassij. Sed quanto efficacior est fortuna quàm uirtus? & quàm uerum est, quod moriens efflauit? Non in re, sed & in uerbo tantum esse uirtutem. Victoriam illi prælio error dedit. Cassius inclinato cornu suorum, quū captis Cæsaris castris rapido impetu recipientes se equites uideret, fugere arbitratus, euadit in tumulum, inde puluere & strepitu etiam nocte uicina eximentibus gestæ rei sensum, quū speculator quoq; in id missus tardius renunciaret, transactum de partibus ratus, uni ex proximis auferendum præbuit caput. Brutus quū in Cassio etiam suum animum perdidisset, ne quid ex constituti fide resignaret (Ita enim par superesse bello conuenerat) ipse quoq; uni comitū suorum confodiendū præbuit latus. Quis sapientissimos uiros non miret̄, ad ultimum non suis manibus usos? nisi hoc quoq; ex persuasione non defuit, ne uiolarent manus, sed in abolitione sanctissimarum, pientissimarumq; animarū iudicio suo scelere alieno uterent̄.

†als. utriq;

BELLVM PERVSINVM CAPVT VII.

Alterum bellum concitauit agrorū diuisio, quos Cæsar ueteranis in castris preciū militiæ persoluebat. Semper L. Antonij pessimū ingeniū Fuluia gladio cincta uirilis militiæ uxor agitabat. Ergo depulsos agris colonos incitando iterum in arma ierat. Hic uero iam nō priuatis, sed totius senatus suffragijs iudicatū hostem Cæsar aggressus intra Perusiæ muros redegit, compulitq; ad extrema deditionis, turpi & nihil nō experta fame.

BELLVM CVM SEXTO POMPEIO.
CAPVT VIII.

Sublatis percussoribus Cæsaris, supererat Pompei domus: alter iuuenum in Hispania occiderat, alter fuga euaserat, contractisq; infelicis belli reliquijs, quum insuper ergastula armasset, Siciliam, Sardiniamq; habebat. Iam & classe medium mare insederat. O quàm diuersus à patre, ille Cilicas extinxerat, hic secum piratas nauales agitarat. Tanta mole belli penitus in Siculo freto iuuenis oppressus est: magni'que famam ducis ad inferos secum

secum tulisset, si nihil tentasset ulterius, nisi quod magnæ indolis signum est sperare semper. Perditis enim rebus profugit, Asiamq; uelis petit, uenturus ibi in manus hostium & catenas: & quod miserrimum est fortibus uiris, ad hostium arbitrium sub percussore moriturus. Non alia post Xerxem miserabilior fuga. Quippe modo trecentarum quinquaginta nauium dominus, cum sex septem'ue fugiebat, extincto prætoriæ nauis lumine, annulis in mare abiectis, pauens atq; respectans, & tamen non timens ne periret.

BELLVM PARTHICVM DVCE VENTIDIO.
CAPVT IX.

QVamuis in Cassio & Bruto partes sustulisset, in Pompeio totum partium nomen abolesset: nondum tamen ad pacis stabilitatem profecerat Cæsar, quũ scopulus & nodus & mora publicæ securitatis superesset Antonius: nec ille defuit uitijs quin periret. Imo omnia expertus ambitu & luxuria, primum hostes, deinde ciues, tandem etiam terræ seculum liberauit. Parthi clade Crassiana altius animos erexerant, ciuilesq; populi Romani discordias læti acceperant. Itaq; ut prima affulsit occasio, non dubitauerunt erumpere: ultro quidem inuitante Labieno, qui missus à Cassio Brutoq; (qui furor scelerum?) sollicitauerat hostes in auxilium, & illi Pacoro duce, regio iuuene, dissipant Antoniana præsidia. Casca legatus, ne ueniret in potestatem, à gladio suo impetrauit. Denique ablata Syria emanabat latius malum, hostibus sub auxilij specie sibi uincentibus, nisi Ventidius, & hic legatus Antonij incredibili felicitate, & Labieni copias, ipsumq; Pacorum & omnem Parthicum equitatum toto inter Orontẽ & Euphratem sinu, late cecidisset. Viginti amplius milium fuit: nec sine consilio ducis, qui simulato metu adeo passus est castris succedere, donec assumpto iactus spacio, adimeret usum sagittarũ. Rex fortissime dimicãs cecidit. Mox circũlato eius per urbes quæ desciuerãt capite, Syria sine bello recepta. Sic Crassianã cladẽ Pacori cęde pensauimus.

BELLVM PARTHICVM CVM ANTONIO.
CAPVT X.

EXpertis inuicem Parthis atque Romanis, quum Crassus atq; Pacorus utrinque uirium mutuarum documenta fecissent, pari rursus reuerentia, integrata amicitia, & quidem ab ipso fœdus Antonio cum rege percussum. Sed immensa uanitas hominis, dum titulorũ cupidine Araxem & Euphratem sub imaginibus suis † legi concupisset: neq; causa, nec consilio, ac ne imaginaria quidem belli conditione, quasi hoc quoq; ex arte ducis esset obrepere, relicta repente Syria in Parthos impetum facit. Gens præter armorum fiduciam simulat trepidationem, & in campos fugam. Hic statim quasi uictor sequebatur, quum subito nec magna hostium manus ex improuiso, etiã in fessos uia, sub uespere uelut nimbus erupit, & missis undique sagittis duas legiones

al. labi.

legiones operuerunt. Nihil acciderat in comparationem cladis, quæ in posterum die imminebat, nisi interuenisset deûm miseratio. Vnus ex clade Crassiana Parthico habitu castris adequitat, & salute latine data, quũ fidem ipse fecisset, quid immineret edocuit, iam affuturum cum omnibus copijs regem, irent retro, peterentq; montes, sic quoq; hostem fortasse non defore: atque ita sequuta est minor uis hostium quàm imminebat. Adfuit tamen, deletęq; reliquæ copiæ forent, nisi urgentibus telis in modum grandinis quadam forte quasi docte procubuissent in genua milites, & elatis super capita scutis cæsorum speciem præbuissent. Tum Parthus arcus inhibuit. Deinde Romani quum se rursus extulissent, adeo res miraculo fuit, ut unus ex barbaris miserit uocem: Ite & bene ualete Romani, merito uos uictores fama gentium loquitur, qui Parthorum tela fugistis. Non minor ex aqua postea, quàm ab hostibus excepta clades. Infesta primum siti regio, tum quibusdam Salmacidis fluuius infestior: nouissimeq; quum iam ab inualidis & auide hauriebatur, noxiæ etiam dulces fuere. Mox & ardores per Armeniam, & niues per Cappadociam, & utriusque cœli subita mutatio pro pestilentia fuit. Sic uix tertia parte de XVI. legionibus reliqua, quum argentum passim dolabris concideret, & subinde inter moras mortem à gladiatore suo flagitasset, egregius imperator tandem profugit in Syriam, ubi incredibili quadam mentis uecordia ferocior aliquanto factus est, quasi uicisset qui euaserat.

Antonius fuga elapsus.

BELLVM CVM ANTONIO ET CLEOPATRA. CAPVT XI.

FVror Antonij quatenus per ambitum non interiret, & luxu & libidine extinctus est. Quippe post Parthos quum exosus arma in ocio ageret, captus amore Cleopatræ, quasi bene gestis rebus in regio se sinu reficiebat. Hæc mulier Ægyptia ab ebrio imperatore precium libidinum, Romanum imperium petit. Et promisit Antonius: quasi facilior esset Partho Romanus. Igitur dominationem parare nec tacite, sed patriæ, nominis, togæ, fascium oblitus, totus in monstrum illud ut mente, ita animo quoque cultuq; desciuerat. Aureum in manu baculum, ad latus & in acie purpurea uestis, ingentibus obstricta gemmis, diadema aderat, ut regina rex ipse frueretur. Ad primam nouorum motuum famam Cęsar à Brundusio traiecerat, ut uenienti bello occurreret, positisq; castris in Epiro, Leucadem insulam, montemq; Leucadẽ, & Ambracij sinus cornua infesta classe succinxerat. Nobis CCCC. amplius naues, CC. non minus hostium: sed numerũ magnitudo pensabat. Quippe à senis in nouenos remorum ordinibus, ad hæc turribus atq; tabulatis alleuatæ castellorum & urbium specie, non sine gemitu maris & labore uentorum ferebantur: quæ quidem ipsa moles exitio fuit. Cæsaris naues à triremibus in senos, nec amplius ordines creuerant. Itaque habiles in omnia quæ usus poscebat, ad impetus & recursus flexusq; capiẽdos, illas graueis & ad omnia

Cleopatra.

ad omnia præpeditas, singulas plures adortæ missilibus simul, tum rostris, ad hoc ignibus iactis ad arbitrium dissipauere. Nec ulla re magis hostilium copiarum apparuit magnitudo, quàm post uictoriã. Quippe immensa classis naufragio belli facto, toto mari ferebatur, Arabumq; & Sabeorũ, & mille aliarum gentium Asiæ spolia, purpuram aurumq; in ripam assidue mota uentis maria reuomebant. Prima dux fugæ regina cum aurea puppe, ueloq; purpureo se in altum dedit: mox sequutus Antonius: sed instare uestigijs Cæsar. Itaq; nec præparata in oceanũ fuga, nec munita præsidijs utraq; Ægypti cornua Parethoniũ atq; Pelusium profuere: propè manu tenebantur. Prior ferrum occupauit Antonius. Regina ad pedes Cæsaris prouoluta tentauit oculos ducis frustra: nam pulchritudo intra pudicitiã principis fuit. Nec illa de uita quæ offerebatur, sed de parte regni laborabat. Quod ubi desperauit à principe, seruariq; se triumpho uidit, incautiorem nacta custodiã, in Mausoleum se (sepulchra regum sic uocant) recepit: ubi maximo, ut solebat, induta cultu, in differto odoribus solio iuxta suum se collocauit Antonium, admotisq; ad uenas serpentibus, sic morte quasi somno soluta est.

BELLA ADVERSVS GENTES EXTERAS. CAPVT XII.

HIc finis armorum ciuilium: reliqua aduersus exteras gentes: quæ districto circa mala sua imperio, diuersis orbis oris emicabant. Noua quippe pax: necdum assuetæ frenis seruitutis tumidę gentiũ inflatæ ceruicesq; ab imposito nuper iugo resiliebant. Ad septentrionem conuersa ferme plaga ferocius agebat, Norici, Illyrij, Pannonij, Dalmatæ, Mysij, Thraces & Daci, Sarmatæ atq; Germani. Noricis animos dabant alpes atq; niues, quod bellum non posset ascendere. Sed omnes illius cardinis populos, Brennos, Senones atque Vindelicos, per priuignum suum Claudium Drusum pacauit. Quæ fuerit callidarum gentiũ feritas, facile uel mulieres ostendere, quæ deficientibus telis infantes ipsos afflictos humo, in ora militũ aduersa miserunt. Illyrij quoque sub alpibus agunt, imasq; ualles earũ, & quædam quasi claustra custodiunt, abruptis torrentibus implicati: in hos expeditionẽ ipse sumpsit, fieriq; pontem imperauit. Hic se & aquis & hoste turbantibus, cunctanti ad ascensum militi scutum de manu rapuit, & in uia primus, tunc agmine sequuto, quum Illyricus multitudine pontem succidisset, saucius manibus ac cruribus speciosiore sanguine, & ipso periculo augustior, terga hostiũ præcidit. Pannonij duobus saltibus, ac tribus fluuijs, Drauo, Sauo, Histroq; uallantur: populati proximos intra ripas se recipiebant. In hos domandos Vibium misit: cæsi sunt in utrisque fluminibus: arma uictorum non ex more belli cremata, sed capta sunt, & in profluentes data, ut cęteris qui resistebant, uictoria sic nunciaretur. Dalmatæ plerunque sub syluis agunt, inde ad latrocinia promptissimi. Hos iam quidẽ Marius incensa urbe Delminio quasi detrun-

ſi detruncauerat. Poſtea Aſinius Pollio gregibus,armis,agris mulctauerat: hic ſecundus orator. Sed Auguſtus perdomandos Vibio mandat,qui efferum genus fodere terras coëgit, aurumq; uenis repurgare, quod alioquin gens omnium cupidiſſima ſtudioſa diligentia acquirit, ut illud in uſus ſuos ſeruari u deatur. Myſij quàm feri,quàm truces fuerint,quàm ipſorum etiam barbari barbarorum, horribile dictu eſt. Vnus ducum ante aciem poſtulato ſilentio: Qui uos, inquit, eſtis? Reſponſum inuicem: Romani gentium domini. Et illi: ita,inquiunt, fiet,ſi nos uiceritis. Accepit omen Marcus Craſſus. Illi ſtatim ante aciem immolato equo concepere uotum, ut cæſorū extis ducum & litarent & ueſcerentur. Deos audiſſe crediderim, nec tubam ſuſtinere potuerunt. Non minimum terroris incuſſit barbaris Chonidius centurio, ſatis barbaris efficacis,tamen apud pares homines ſtoliditatis, qui focū gerens ſuper caſſidem, ſuſcitatam motu corporis flammam uelut ardenti capite fundebat. Ante hos Thracum maximus populus deſciuerat. Ille barbarus & ſignis militaribus & diſciplina, armis etiam Romanis aſſueuerat. Sed à Piſone perdomiti, in ipſa captiuitate rabiem oſtendêre:quippe quum catenas morſibus tentarent, feritatem ſuam ipſi puniebant. Daci montibus inhærent Cotiſonis regis imperio: quoties concretus in gelu Danubius iunxerat ripas, decurrere ſolebāt & uicina populari. Viſum eſt Cæſari Auguſto gentem aditu difficilimam ſubmouere. Miſſo igitur Lentulo ultra ulteriorē repulit ripam: citra præſidia conſtituit. Sic tunc Dacia non uicta, ſed ſummota atque dilata eſt. Sarmatæ patentibus campis inquietant: & hos per eundem Lentulum prohibere Danubio ſatis fuit: nihil præter niues raraſq; ſyluas habent: tanta barbaria eſt, ut pacem non intelligant. Germaniam quoque utinam uincere tanti non putaſſent:magis turpiter amiſſa eſt,quàm glorioſe acquiſita: ſed quatenus ſciebat patrem ſuum Cæſarem bis traiecto ponte Rheni, quæſiſſe bellum, in illius honorem concupijt facere prouinciam: & factum erat, ſi barbari tam uitia noſtra, quàm imperia ferre potuiſſent. *Druſus.* Miſſus in eam prouinciam Druſus primos domuit Vſipetes, inde Tencatheros percurrit & Cattos. Nam Marcomanorum ſpolijs inſignibus quendam editum tumulum in trophæi modum excoluit. Inde ualidiſſimas nationes, Cheruſcos, Sueuos & Sicambros pariter aggreſſus eſt. Qui uiginti centurionibus incrematis hoc uelut ſacramento ſumpſerant bellum, adeo certa uictoriæ ſpe, ut prædam in anteceſſum pactione diuiſerint. Cheruſci equos, Sueui aurum & argentum, Sicambri captiuos elegerant. Sed omnia retrorſum. Victor nanque Druſus equos, pecora, torques eorum, ipſóſque præda diuiſit, & uendidit. Præterea in tutelam prouinciæ præſidia, atq; prouincias ubique diſpoſuit. Per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim, per Rheni quidem ripam, quinquaginta amplius caſtella direxit Bonnam & Geſoniā cum pontibus iunxit,claſſibuſq; firmauit:

inuium

inuium atque inaccessum in id tempus Hercynium saltum patefecit. Ea denique in Germania pax erat, ut mutati homines, alia terra, cœlum ipsum mitius molliusq́ solito uideretur. Denique non per adulationem, sed ex meritis, defuncto ibi fortissimo iuuene, ipsi quod nunquam alteri senatus cognomen ex prouincia dedit. Sed difficilius est prouincias obtinere, quàm facere: uiribus parantur, iure retinentur. Igitur breue id gaudium fuit. Quippe Germani uicti magis quàm domiti erant, moresq́ nostros magis quàm arma sub imperatore Druso suscipiebant. Postq́ ille defunctus est, Vari Quintilij libidinem ac superbiam haud secus quàm sæuitiam odisse cœperunt. Ausus ille agere conuentum: & in castris se direxerat, quasi uiolentiam barbarorum & lictoris uirgis, & pręconis uoce posset inhibere. At illi qui iam pridem rubigine oblitos enses, inertesq́ cernerent equos, ut primum togas & sæuiora armis iura uiderunt, duce Arminio arma corripiunt. Quum interim tanta erat Varo pacis fiducia, ut ne prædicta quidem, & prodita per Segestem unum ducum coniuratione commoueretur. Itaque improuidum & nihil tale metuentem improuiso adorti, quum ille (ô securitas) ad tribunal citaret, undique inuadunt, castra rapiunt, tres legiones opprimuntur. Varus perditas res eodem quo Cannensem diem Paulus & fato est & animo sequutus. Nihil illa cæde per paludes, perq́ syluas cruentius, nihil insultatione barbarorũ intolerantius: præcipue tamen in causarum patronos: alijs oculos, alijs manus amputabant: unius os sutum, recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus: Tandem, inquit, uipera sibilare desiste. Ipsius quoq́ consulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat, effossum. Signa, & aquilas duas adhuc barbari possident: tertiam signifer priusquam in manus hostium ueniret euulsit, mersaq́ intra baltei sui latebras, gerens in cruenta palude sic latuit. Hac clade factum, ut imperium quod in littore oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret. Hæc ad septentrionem. Sub meridiano tumultuatum magis quàm bellatum est. † Musulanios atque Getulos accolas Syrtiũ *Massæsylios forte.* Cosso duce compescuit, unde illi Getulici cognomen. Latius uictoria patet, Marmaridas atq́ Garamantas Turmio subigendos dedit. Potuit & ille redire Marmaricus, sed modestior in æstimanda uictoria fuit. Ad orientem plus negocij cum Armenis: huc alterum Cæsar ex nepotibus suis misit, ambo fato breues, sed alter inglorius. Massiliæ quippe Lutius morbo soluitur: in Lycia Caius ex uulnere, quum Armeniam ad Parthos se subtrahentem recepit. Armenios uicto rege Tigrane in hoc unum seruitutis genus Pompeius assueuerat, ut rectores à nobis acciperent. Intermissum ergo ius per hunc recuperatum, non incruento, nec inulto tamen certamine. Quippe Domnes, quem rex Artaxates præfecerat, simulata proditione adortus uirum intentum libello, quem ut thesaurorum rationem continentem ipse porrexerat, stricto ferro cruentus ex uulnere in tempus: cæterum barbarus undique

infesto exercitu oppressus gladio,& pyra in quã se pcussus immisit,superstiti etiam Cæsari satisfecit. Sub occasu pacata fere erãt omnis Hispania,nisi quã Pyrenæi desinentis scopulis inhærentẽ citerior alluebat Oceanus. Hic duæ ualidissimæ gentes,Cantabri & Astures,immunes imperij agitabant. Cantabrorũ & prior & altior, & magis pertinax in rebellãdo animus fuit, qui nõ contenti libertatem suam defendere, proximis etiam imperitare tentabant, Vacceosq; & Curgonios, & Aurigonas crebris incursionibus fatigabant. In hos igitur, quia uehementius agere nunciabatur,nõ mandata expeditio,sed sumpta est. ipse uenit: Sagesama castra posuit: inde partito exercitu totam in diem amplexus Cantabriam efferam gentem ritu ferarum quasi indagine debellabat. Nec ab Oceano quies,quum infesta classe ipsa quoque terga hostium cæderentur. Primum aduersus Cantabros sub mœnibus Belgicæ præliatus est. Hinc fuga in eminentissimum Vinnium montem, qua maria prius oceani,quàm arma Romana ascensura esse crediderant. Tertio Aracillum oppidum magna ui repugnat: captum tamen postremo fuit. Medulli montis obsidio,quem perpetua XV. milium fossa comprehensum cinxit undiq; simul adeunte Romano: postquam extrema barbari uident, certatim igne,ferro inter epulas,uenenóque quod ibi uulgo ex arboribus taxis exprimitur,percepere mortem,seq; pars maior à captiuitate,quæ uidebatur, uindicauere. Hæc per Antistium,† Firmium, Agrippam legatos, hibernans in Taraconis maritimis Cæsar accepit. Ipse præsens hos deduxit montibus, hos obsidibus adstrinxit, hos sub corona iure belli uendidit. Digna res lauro,digna curru senatui uisa est: & Cæsar tantus erat ut posset triumphos cõtemnere. Astures per idem tempus ingenti agmine à montibus suis descenderant: nec temere subtus, ut barbaris impares: & positis castris apud Asturam flumen,trifariam diuiso agmine,tria simul Romanorum castra aggredi parant. Fuisset & anceps & cruentum,& utinam mutua clade certamen,tunc tam fortibus etiam subito,tam cum consilio uenientibus, nisi Trigecini prodidissent: A quibus præmonitus Carisius cum exercitu adueniens oppressisset consilia. Sic tamen quoque non incruento certamine reliquias fusi exercitus ualidissimi ciuitas Lancia excepit: ubi loci adeo certatum est, ut in captã urbem fasces poscerentur: ægre dux impetrauit ueniam, ut uictoriæ Romanæ stans potius esset,quàm incensa monumentum. Hic finis Augusto bellicorum certaminum fuit: idem rebellandi finis Hispaniæ. Certa mox fides & æterna pax cum ipsorum ingenio in pacis partes promptiore, & cum consilio Cæsaris, qui fiduciã montiũ timens,in quos se recipiebant,castra sua, sed quæ in plano erãt, habitare & incolere iussit: ingentis esse consilij illud obseruari cœpit. Natura regionis circa se omnis aurifera, minijq; & chrysocollæ, & aliorum colorum ferax. Igitur exerceri solum iussit. Sic Astures latentes in profundo opes suas atque diuitias, dum alijs quærunt, nosse cœperunt.

al. Furmium.

Hispania aurifera.

Omnibus

Omnibus ad occasum & meridiem pacatis gentibus, ad septentrionẽ quoque duntaxat intra Rhenum atque Danubium, item ad orientẽ intra Taurum & Euphratem, Nilum quoque. Reliqui quoque qui immunes imperij erant, sentiebant tamen magnitudinem, & uictoriam gentium populi Romani reuerebantur. Nam & Scythæ misere legatos & Sarmatæ, amicitiam petentes. Seres etiam, habitantesq; sub ipso sole Indi, cum gemmis & margaritis, elephantes quoq; inter munera trahentes, nihil magis quàm longinquitatem uiæ imputabant: quadriennium impleuerant, & tamen ipse hominum color ab alio uenire sole fatebatur. Parthi quoque quasi uictoriæ pœniteret, rapta clade Crassiana, ultro signa retulere: sic ubique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio. Ausus q; tandem Caius Augustus septingentesimo ab urbe condita anno Ianum geminum claudere, bis ante se clausum, sub Numa rege, & uicta primum Carthagine: hinc conuersus ad pacem, pronum in omnia mala & in luxuriã fluens seculum, grauibus seuerisq; legibus multis coërcuit. Ob hæc tot facta ingentia dictator perpetuus, & Pater patriæ dictus. Tractatum etiam in senatu, an quia condidisset imperium, Romulus uocaretur. Sed sanctius & reuerentius uisum est nomen Augusti, ut scilicet iam tum dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur.

Cuspinianus Tigrim legit.

L. FLORI EPITOMES QVARTI ET VLTIMI LIB. FINIS.

ANNOTATIONVM
IOANNIS CAMERTIS IN L. FLORVM LIBER.
PROLOGVS.

INSTITVERAT Florus Romanum laudare imperium. Idcirco ipsum in libri exordio homini comparat. Vt enim homo, qui animantium solus rationis ac cogitationis particeps est, cæteris omnibus præfertur animalibus, ita Ro. imperium cæterarum gentium imperia atq; resp. excelluit dignitate. Id docent paßim omnes, Liuius, Plinius, Cicero, Solinus, Dionysius primo antiquitatum Romanarum, Appianus in proœmio operis sui. Strabo in 5. Trogus libro 43. Augustinus cap. 12. 5 Ciuitatis. Hinc est illud Martialis libro 12.

Terrarum dea gentiumq; Roma, Cui par est nihil, & nihil secundum. Plura ad idem Claudianus tertio de laudibus Stiliconis, ibi. Proxime dijs consul. &c. Ouidius secundo Fastorum.

Gentibus est alijs tellus data limite certo, Romanæ spacium est urbis & orbis idem. Maro primo Aeneidos. His ego nec metas &c. Propertius 22. tertij. Omnia Romanæ cedent &c.

A Romulo in Cæsarem Augustum septingentos per annos. &c. Concordant fere omnes, Iulium Cæsarem interfectum anno urbis conditæ 709. uel 710. Lege Eutropium c. 17. & Orosium c. 16. sexti. Eundem annorum numerum reddit fere computatio Eusebij, & Dionysij lib. 1. Ego, inquit, in Italiam traijciens, quum dissolutum est sub Cæsare Augusto bellum ciuile, centesima octogesima septima Olympiade. Hæc ille. Is autem annus uidetur fuisse uigesimus sextus imperij Augusti. Lege Orosium c. 18. sexti. Eusebius libro temporum dicit Augustum Ro. potitũ imperio Olymp. 184.

Nam tot laboribus &c. Virgil. 1. Æneidos. Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Hos labores & pericula in processu Florus explicat.

SI quis ergo P. R. quasi hominem &c. Seneca aliter Romanæ urbis tempora distribuit per ætates. Lege apud Lactantium capite decimoquinto, septimi Diuinarum institutionum.

Prima ætas sub regibus fuit &c. De annorum numero quibus Romæ regnatum est uariæ sunt scriptorum sententiæ. Quidam regnatum ibi asserunt annis 240. quidam 241. nonnulli 243 alij 244. Lege Eusebium lib. temporum. Eutropium c. 11. 1. Orosium c. 5. secundi. Ruffum de uita regia. Solinum c. 2. Augustinũ c. 15. 3. Ciuitatis dei. Quæ discordia fortaßis ortum habet uel propter interregna, uel propter menses, quibus supra annos quidam ex septem regibus regnauerunt.

Prima ætas sub re. &c. De gradibus ac numero ætatis humanæ non omnes idem sentiunt. Varro quinq; gradus æquabiliter putat esse diuisos, unumquenq; scilicet præter extremum iu annos quindecim. Hippocrates medicus in septem gradus ætatum distribuit finem uitæ uniuscuiusq;. Solon autẽ philosophus partes fecit decem. Staseas Peripateticus duos ad hos Solonis addidit. Et ne cuncta recenseã, lege hæc copiose apud Censorinum cap. 12. de die natali. Augustinum c. 23. de Genesi, & ca. ultimo 22. Ciuitatis dei. Faciunt huc quæ scribit Plinius cap. 49. 7.

IN Appium Claudium &c. Intelligit non Appium Claudium Cæcum, de quo cap. 18. huius primi, sed Appium Claudium, cui cognomen Caudex, de quo infra capite secundo libri secundi.

Ducentos annos patet. Dura, imò forte nulla in his uerbis constructio. Idcirco legendum uidetur, CC. annis patet, uel per CC. annos patet. Aut ut quædam habent exemplaria, CC. annos habet, ut infra capite sexto, secundi, in principio.

NON multo minus CC. anni &c. Secundum computationem Eusebij, ab initio imperij Augusti usq; ad finem imperij Traiani, sunt fere anni 178. & menses 6. Bene igitur additur, non multo minus. Quid si legas, mouit lacertos. Oros. cap. 7. 7. Gesta Traiani lege in Panegyrico Plinij, & Eutropio. cap. 2. 8. Oros. cap. 7. 7. Sex. Aurel. Plura Martialis epigram. 6. 7. 28. 10.

DE ROMVLO PRIMO RO. REGE. CAP. I.

PRIMVS ille &c. Vltra ea quæ de Romulo scribunt Liuius in primo, Iustinus lib. 43. Solinus in principio, Plinius minor cap. secundo de uiris illustribus. Sex. Ruffus de uita regia. Eutropius cap.

pius cap.4.1.Oros.c.5.2.Plutar.in uita Romuli,Dionys.Halicarn.li.1.& 2. Lege Val.Max.c.2.3. & c.3.5.Plin. c.17.8. c.12.14. c.18. & 29. 15.c. 45. 16. c. 2. 18. c.6.34. August c. 17.2. Ciuit. cap. 6. 15. 15.3.Ciuit.Lactantius c. 20.& 21. primi.& c. 7. secundi. Virgil. circa finem octaui Æneid. Plura Ouidius 3. & 4. Fastorum,& 14. Metamor. Horat. 3.3. Carminum. Propertius lib. 4.

A Marte genitus,& Rhea Syluia &c. Parentes Romuli & Remi, & seriem eorum quæ hic dicuntur, ponit Naso in principio tertij Fastorum, & quinta Elegia, tertij Amorum. Eosdem nutritos à uera lupa scribunt Plin. ca. 17. 8. & c. 18. 15. Iustinus lib. 43. Plutarch. cap. 65.Parallelorũ & Problem. 20. Virg. 8. Æneid. ibi, Fecerat & uiridi. Picum etiam auem eosdem nutrisse scribit Naso Fastorum 3. Lacte quis infantes nescit creuisse ferino, Et Picum expositis sæpe tulisse cibos. Idem scribit Plutarchus Problem. 21. Propertius 6. 2. Alij fabulosum putant. Lege Lactantium cap. 20. 1.& Liuiũ primo ab urbe condita. Vbi autẽ & quomodo expositi fuerint scribit Naso 2.Fast.ibi, Forsitan & quæras &c. An Roma fuerit primo à Romulo condita,scripsi plura in annot.Solini.

Ab his Amulius septima sobole regnabat &c. Dionysius libro primo. Eutrop.c.3. 1. Euseb. lib. temporum. Ouid. 14.Metamor. ibi, Inde sub Ascanij. Idem 4. Fast.ibi, Proximus Anchises. Et breuiter quicunq; de regibus Albanis scribunt, enumerant à Syluio Posthumo Æneæ filio, usq; ad Amulium Romuli patruum,reges quatuordecim. Videtur ergo non septima,sed bis septima sobole legendum esse. Hunc locum ante nos aduertit nemo.

Sex uultures &c. De auspicio isto præter cæteros Ouidius 4.Fastorũ,ibi,Nil opus est.Plutarch. Probl. 91. Statius 3. Thebaidos, ibi, Hic honor. docet causas cur alitibus prædicendi futura sit tributum. De hoc auspicio recitantur plura carmina Ennij,uersus finem primi de diuinatione M. Tullij,ibi, Curantes magna cum cura.Docet idem Cicero eodem libro,Romulum optimum augurem fuisse.Item Romanos nihil sine auspicio fecisse. Idem dicit Valerius cap.1.secundi.

Remus increpat saltu &c. De morte Remi uariant scriptores.Lege præter citatos Ouidiũ quarto Fast. ibi, Neue quis. PRIMA uictima. Lucanus in 1.ibi, Fraterno primi maduerunt sanguine muri. Horat.7.Epodon.De asylo Virg. & Seruius 8.Aen. ibi, Hinc lucum ingentem.

Itaq; matrimonia &c. De raptu Sabinarũ, & aliarum à Romulo lege Ouid.3. Fast. ibi, Iamq; loco. Quo mense Seru.8.Aeneid.Nec procul. Earum numerus Diony.lib.2.antiquitatũ. Qua face raptæ. Plin.cap.9.16.naturalis historiæ. Plura præter supradictos diuus August. cap.17.2. & cap.13.3 Ciuitatis dei. Et Plut.Problem.84.plura in Romulo. De opimis spolijs dicam infra cap. 4.2.

Feretrio Ioui &c. De Ioue Feretrio lege præter alios Valerium capite 2. 3. Plura Propertius Elegia 12.4. ubi plura disputat unde nomen sumptum sit.Item Plutar.& Festum Pomp.uide si uis.

Sed puella precium rei &c. De Tarpeia uirgine, quæ Sabinis Capitolij portas aperuit, copiose Propertius 4.4.Ouidius 1.Fast.ibi,Vtq; leuis. Et 14.Metamor.ibi,Proximus Ausonias.Val.Max. cap.6.9.Plutar.c.27.Parallel.Fuit autem hæc Sp.Tarpei filia,ac Vestalis uirgo. Idem fecit Brennus rex Gallorum apud Ephesum urbem.Plutar.cap.26.Parallelorum.

Hic templum est Stator Iupiter &c. Præter ea quæ supradicti scribunt de Ioue Statore,lege August. ca.13.3.Ciuitatis.Item Ouidiũ in fine 6.Fast. Seneca autem ca.7.4.de beneficijs sic inquit:Stator non ut historici tradiderunt, ex eo quod post uotum susceptum acies Romanorum fugientiũ stetit, sed quod stant beneficio eius omnia,stator stabilitorq; est. Hæc ille. Videtur autẽ legendum.Hic templum esto: ut sit uouentis Romuli uerbum.

Discerptum aliqui à senatu putant &c. Romuli interitus uarie scribitur. Lege Val.Max.cap.3. quinti. Cic.1.de legibus. August.ca.15.tertij Ciuitatis. Ouid.2.Fast.ibi, Est locus antiqui. Item cæteri. Modum nouum ex Aristoboli sententia ponit Plutarchus.ca.67.Parallel. Translationem Romuli in deum narrat Ouidius in fine 14.metamor. Cicero in principio 1. Legum.

DE NVMA POMPILIO. CAP. II.

SVCCESSIT Romulo Numa Pompilius. Numæ gesta scribunt Liuius in 1.Plin.ca.3. de uiris illustribus. Solinus ca.2. Ruffus de uita regia.Eutrop.in 1. Orosius in 2. Gellius ca.3. quarti. Val.Max.ca.de seruata & simulata religione. Lactantius ca.22.1. Plin.c.13.13. c.12.14. c.2.& 29. 18. Augustinus c.16.2. c.9.11. 15.3.Ciuit. Item c.35.7. c.24.18. Ciuitatis. Plura Ouidius 15. Meta.

Virg. 6

Virg. 6. Æneid. ibi, Quis procul. Plura Plutarchus in uita Numæ, & Dionysius secundo antiquitatũ Ro. Dictus autẽ Numa est ἀπὸ τῶν νόμων, hoc est, à legibus quas Ro. instituit, autor Seru. 6. Aen.

Ille sacra &c. Numa assumpta omni diuini cultus institutione, atq; conscripta, in octo diuisit partes, &c. Lege Dionysium ubi supra. Fasti & nefasti dies qui, & cur sic dicti, 1 Fastorum Ouidius, ibi, Ille nefastus erit. Gel. cap. 9. quarti. De ancylibus præter alios Ouid. 3. Fastorum, ibi, Quis mihi. Virg. 8. Aeneid. Hinc exultantes &c. ubi Seru. plura. Lege quæ notauimus apud Fenestellam. Idem de Palladio 6. Fast. ibi, Mœnia Dardanides. Et prima 3. Tristium, Hic locus &c.

Annum quoq; in duodecim menses &c. De anno duodecim mensium à Numa instituto, scribũt Solinus cap. 3. Macrobius 1. Saturn. Ouid. Fast. 1. De annorum autẽ diuersitate plura in annotationibus Solini explicauimus. Strabo autem 17. Cosmographiæ dicit annum dierũ 365. cum quadrante ab Aegyptijs inuentum fuisse. Idem scribit Lucanus in 10. Nec meus Eudoxi.

Ianum geminum &c. Causas huius consuetudinis docui ex sententia Macrobij, Seruij, Sillij, Nasonis, in annotationibus nostris in Claudianum 2. de laudibus Stiliconis, ibi, Et Ianus pax alta ligat. Virgilius 7. Aeneid. ibi, Sunt ge. Idem scribit Florus infra cap. 3. secundi, & cap. 12. quarti, in fine. quoties scilicet Iani ianua fuerit clausa. Augustin. cap. 9. tertij Ciuitatis.

Focũ Vestæ. Præter scripta de hac re à Liuio, Diony. Plut. cæteris, lege 6. Fast. Oui. ibi, Vesta faue.

Monitu Aegeriæ &c. De Aegeria præter alios Ouid. 3. Fastorum, ibi, Nympha mone &c. Idem 15. Metamorph. ibi. Coniuge qui felix. Augustinus cap. ultimo, septimi Ciuitatis. Lactantius cap. 22. primi. Cicero primo de legibus, Acron 2. Epistolarum Horatij.

DE TVLLO HOSTILIO. CAP. III.

Excipit Pompilium Numam Tullus Hostilius &c. Vitam Tulli Hostilij regis scribunt Liuius in primo, Dionysius in 3. Eutropius in 1. Oros. in 2. Plinius minor cap. 4. de uiris illustribus, Valerius Max. cap. 4. 3. cap. 4. 7. cap. 12. 9. Plin. cap. 55. 2. cap. 2. 28. Augustinus cap. 15 tertij Ciuitatis. Ruffus ubi supra. Virg. 6. Aeneid. ibi, Ocia qui &c.

Albanos grauem & diu principem populum &c. Longa Alba ab Ascanio condita CCC. annis caput regni fuit, Iust. li. 43. Secundum autẽ computationẽ Eusebij & Eutropij longe aliter.

Misso in compendium bello &c. Historiam Horatiorum atq; Curiatiorum tergeminorũ scribunt præter supradictos Plinius cap. 3. septimi, Val. cap. 6. 3. & cap. 1. 8. Plutar. cap. 29. Paral. Augustinus cap. 14. 3. Ciuit. Idem fecerunt aliquando Tegeatæ ac Pheneatæ. lege Plutar. cap. 28. Paral.

Inter duos currus &c. De Metij Suffetij interitu præter nominatos lege Gel. cap. 1. 20. Valerium Max. cap. 4. 7. Plutarch. cap. 14 Paral. Claudianum in Gildonem, ibi, Etsi non. Virgil. 8. Aeneid.

Haud procul inde citæ Metium in diuersa quadrigæ Distulerant, ac tu dictis Albane maneres,
Parabatq; uiri mendacis uiscera Tullus, Per syluam & sparsi rorabant sanguine uepres.

Id pœnæ genus ab Hercule repertum ferunt, qui florenti adhuc ætate regem Eubœæ Pyrrechmem, bellum Bœotijs inferentem, uicit, uictumq; pullis equinis ita alligauit, ut in duas dispartiretur partes, insepultusq; iaceret. Locus adhuc Pyrrechmus pulli uocatur. Autor Plutarchus.

DE ANCO MARTIO. CAP. IIII.

Ancus deinde Martius &c. Quæ compendiose hic narrantur lege apud Liuium libro primo, Dionys. lib. 3. Eutrop. cap. 7. 1. Oros. lib. 2. Plinium cap. 5. de uiris illustribus. Ruffum, Solinũ cap. 2. Augustinum cap. 15. 3. Ciuit. Euseb. li. temporum. Plin. ca. 3. 31. Claudianum in Gildonem. Virg. sexto Aeneidos. Agmina quem &c. Dictus autem Ancus ἀπὸ τ̃ ἀγκῶνος, id est, à cubito, quem incuruum habuit. Seruius est autor Aeneidos sexto.

Mœnia muro amplexus est &c. Videtur urbem Romam usq; ad hunc regẽ sine muris fuisse. nam ad tutelam nouæ urbis sufficere uallum uidebatur, ut capite 1. supra dicit Florus. Ancus præterea Auentinum montem & Ianiculum urbi addidit. Autor Eusebius libro temporum.

DE TARQVINIO PRISCO. CAP. V.

Tarquinius postea Priscus &c. Historiam regis huius scribunt Liuius in 1. Dionysius in 3. Eutropius in 1. Orosius in 2. Plinius cap. 6. de uiris illustribus. Val. Max. lib. 1. capite de auspicijs. & cap. 4. 5. Plin. cap. 1. & 3. 33. & cap. 12. 35. Lactantius cap. 8. 2. Augustinus cap. 15. 3. Ciuitatis.

Lege

Lege Ruffum, Solinum, Eusebium. ACTIVS Nauius &c. Hanc historiam præter supradictos scribunt Val. lib. 1. cap. de auspicijs. Lact. c. 8.2. Ob id factũ statuã sibi poni meruit. Plin. c. 5.34. Duodecim nanq; &c. De his duodecim Ethruriæ populis infra cap. 16. huius primi. Dionysius lib. 6. Seruius 11. Aeneid. super illud: Telaq; trunca. Vestium species, inuentionem, usum, apud Romanos ponit Plinius c. 48.8. naturalis historiæ. Extat præterea titulus apud Nonium Marcellum. Lege A. Gellium cap. 12. 7. De annulis multa idem Plinius cap. 1. 33.

DE SERVIO TVLLIO. CAP. VI.

SEruius Tullius deinceps &c. De rege isto sexto scribunt Liuius in 1. Dionysius in 4. Val. Max. lib. 1. cap. de prodigijs, & ibidem cap. de miraculis, cap. 4.5. cap. 11. 9. Augustinus cap. 15. 3. Ciuitatis. Item Eutropius, Orosius, Solinus cap. 2. Plinius minor, Euseb. Ruffus Sex. Plutarchus Probl. 72. 105. Plura Ouid. 6. Fast. ibi, Lux eadem fortuna tua est. Aduertendum hanc reginam alio nomine uocatam Caiam Ceciliam, ut quibusdam placet. Aduertendum quod quum Romani incertum haberent, quo mense Seruius Tullius natus esset, nonis tamen natum esse constaret, omnes nonas celebri notitia frequentabant. Autor Macrobius primo Saturnalium.

Circa caput flamma &c. Historiam hanc scribunt Plin. c. 110. 2. & cap. ultimo 36. Cicero primo de diuinatione. Val. ac alij ubi supra. Faciunt huc quæ scribit Maro 2. Aen. ibi, Ecce leuis. Et Claudianus de 4. consulatu Hono. ibi, Apparet quid signa. in quo loco plura dictauimus.

Relatus in censum &c. Sanè in eo censu qui primus Romæ fuit, inuenta sunt hominum M. 84. Autor Eutropius capite nono primi.

DE TARQVINIO SVPERBO. CAP. VII.

POstremus omnium fuit regum Tarquinius Superbus &c. Gesta Tarquinij Superbi scribunt Liuius lib. 1. & 2. ab urbe condita. Dionysius lib. 4. & inde. Val. cap. 5. & 4. 7. Plinius cap. 5. & 8.19. cap. 1.33. Plura Seru. 6. Aeneid. Augustinus cap. 15. 3. Ciuitatis. Ruffus, Eutrop. in primo Orosius in 2. Plin. minor cap. 8. de uiris illustribus. Solin. cap. 2. Eusebius lib. temporum. Virg. 6. Aeneid. ibi, Vis & Tarquinos. Plura Ouid. 2. Fast. ibi, Nunc mihi dicenda.

Tullia super cruentum patrem. Hanc historiam præter supradictos lege apud Valerium Max. cap. 11. noni, & apud Ouidium 6. Fast. ibi, Tullia coniugio.

In omnis superbia quàm crudelitate grauior est bonos. &c. Videtur legendum, in senatum cædibus, in omnes superbia, in bonos grauior, crudelitate grassatus est.

Neq; enim filiũ &c. Hanc historiã præter citatos supra, lege in 2. Fast. Ouid. ibi, Cœperat hic alias.

Papauerum capita &c. Coueniunt omnes præter Ouid. qui dicit non papauerum, sed liliorum capita excußisse. ibi, Hortus odoratis. Lege Frontinũ cap. 1.1. sed res nota nimis.

Iuuentas & Terminus &c. Legendum est iuuenta: nam iuuentas est ætas ipsa, Iuuenta ipsum numen, iuuentus adolescentia. Acron ode 30.1. Diuus August. cap. 23.4. Ciuitatis. Martem quoq; tertium enumerat contumacem. Plura ad hoc scripsi 2. Ciu. August. cap. ultimo ex sententia Seru. in 9. Lactan. cap. 20. 1. Ouid. 2. Fastorum, Quid noua.

Lucretiæ stuprum &c. Hanc historiam scribunt omnes. Lege Val. cap. 1.6. Copiosius Augustinus cap. 19.1. Ciuit. Plutarchus cap. 14. de uirtutibus mulierum. Lucretiæ stuprum copiose, & more suo elegantißime canit Ouid. 2. Fast. uersus finem, ibi, Cingitur interea &c.

Imperium abrogatum regibus &c. Diem, quo reges Roma pulsi sunt, qui regifugium dicebatur, bis quotannis Romani celebrabant, septimo scilicet Cal. Martias, & XI. Cal Iulias. Autor Oui. 2, & 5. Fastorũ. Pulsus autem fuit regno Tarquinius 7. Cal. Martias, hoc est, uigesimo tertio Februarij die ex 2. Fastorum, Nunc mihi. Aduertendum autem serpentem latrasse quum pulsus est regno Tarquinius. Autor Plinius cap. 41, 8. naturalis historiæ.

ANACEPHALAEOSIS DE SEPTEM REGIBVS. CAPVT VIII.

HÆC est prima ætas populi Ro. &c. Anacephalæosis græce, latine dici potest repetitio seu instauratio, uel ut August. interpretatur, recapitulatio. ἀνακεφαλαιόω enim instauro significat. Quæ faciunt pro notitia huius capitis dicta sunt in antehabitis capitibus.

Deorum

Deorum metu mitigaretur &c. Diagoras, Theodorus, Leucippus, Democritus, Epicurus, & ex Romanis Lucretius, putant terroris ac metus gratia religionem à sapientibus institutam, quo se homines imperiti à peccatis abstinerent. Lactant. cap. 10. de ira dei. De Numæ religione scriptũ cap. ultimo 7. Ciuit. Ex quibus constet uera religio, docet Aug. 10. Ciuit. & Lactant. cap. 28. 4. Sed de hoc alibi.

DE MVTATIONE REIP. CAP. IX.

IGitur Bruto Collatinoq; ducibus &c. De his primis consulibus Liuius lib. 1. & 2. Dionys. lib. 4. & 5. Augustinus cap. 16. 3. Ciuitatis. Plinius minor cap. 9. 10. & 15. de uiris illustribus. Eutrop. in 1. Orosius in 2. Aduertendum annum illum primum habuisse quinq; consules. autor Augustinus ubi supra. Macrobius 1. Saturn. dicit primos consules factos Cal. Iulij, quem diem, ut antea annotatũ est, Romani celebrabant. Plutar. uero asserit eos creatos Cal. Ianuarij. Hinc seruatũ ut deinceps semper Cal. Ianuarij consules crearentur. Lege ipsum Probl. 18. Ornamenta consulum atq; insignia lege 1. Fastorũ, ibi, Vestibus intactis. Fenestella cap. 22. Plura Flauius 3. de Ro. triumph. Brutus autem dictus quoniam stultitiam simulauerit. Plin. cap. 10. de uiris illustribus. Ouid 2. Fast. ibi, Brutus erat. De Martio campo ultra quæ scribit Liuius lege Strabonem lib. 5.

Consules appellauit pro regibus, ut consulere &c. Magnam consulis officij & dignitatis partem, paucis uerbis Cicero tertio legum parum post principium complexus est. Consules, inquit, regio præsumpto imperio, hisq; præeunto iudicando, consulendo, prætores, iudices apparento. Militiæ summum ius habento, nemini parento. Iussa his populi suprema lex esto. Eundem magistratum ni interfuerint decem anni, ne quis capito. Ciuitatẽ annali lege seruanto. Duella iusta iuste gerunto. Socijs parcento. Seruos continento, populiq; sui gloriam augento. Domum cum laude redeunto. Hæc ille. Lege quæ notauimus titulo 22. Fenestellæ. Cur autem duodecim lictores fasces uirgarum securibus alligatos gestabant, docet Plutarch. Problem. 81. Docet Plin. lib. 7. Magistratuum uirgas illas terribiles peculiariter ex Betulla arbore, quæ est eximio candore ac tenuitate prædita.

Alterum ex consulibus &c. Intelligit Collatinum Tarquinium, Lucretiæ maritum, de quo præter cæteros scribit Cicero 3. Officiorum, & Plin. c. 9. de uiris illust. August. c. 17. 2. Ciuitatis dei.

Itaq; substitutus Valerius Publicola &c. De hoc Valerio Publicola præter supradictos lege Val. cap. 1. & 4. 4. Plin. c. 15. de uiris illust. Plutarchus in uita eius omnia complexus est.

Quum studere de reuocandis in urbẽ regibus liberos suos comperisset &c. De coniuratione filiorũ Bruti contra remp. præter Liuium & Dionys. lege Val. Max. cap. 8. 5. Item Augustinum cap. 16. 3. Ciuitatis. Plut. c. 20. 21. 22. Parall. Claudianus primo in Eutropium: Iam, inquit, Chrysogonis tua Brute potestas, Narcysisq; datur, natos hoc dedere pœnæ profuit? & misero ciuẽ præponere patri? Sic enim hunc locum, ut plerosq; alios eiusdem poëtæ castigauimus, quum antea non patri, sed fratri paßim legeretur. Virg. 6. Aeneid. Vis & Tarquinios reges, animamq; superbam Vltoris Bruti, fascesq; uidere receptos? Consulis imperium hic primus sæuasq; secures Accipiet, natosq; pater noua bella mouentes Ad pœnam pulchra pro libertate uocabit Infelix, utcunq; ferent ea fata minores Vincet amor patriæ laudumq; immensa cupido. Cur bellandum sit docet Cicero primo Officiorum titulo 12. & 13. ubi docet bellum sine causa nullum esse debere.

Inter Latium & Ethruscos &c. Roma à principio (ut 11. Aeneid. docet Seruius, ibi, Ethrusciq; duces) tantum unam Tyberis ripam tenebat. Iuuenalis Satyra 8. Et quæ imperij finem Tyberinum uirgo natauit. Propertius prima 4. Et Tyberis nostris aduena bubus erat,

BELLVM ETHRVSCVM CVM REGE PORSENNA. CAPVT X.

PVlsis ex urbe regibus &c. Quæ hoc decimo capite scribuntur, habentur à Liuio lib. 2. Dionysio lib. 6. Plin. cap 11. & 12. de uiris illustribus. Eutrop. cap. 11. 1. Plutarch. cap. 4. Paral. August. cap. 18. 2. Ciuitatis. Syllio lib 10. ibi, Auribus. Virg. 8. Aeneid. ibi. Nec non.

Amicitiæ fœdera feriret &c. In fœdere quod expulsis regibus populo Romano dedit Porsenna, nominatim comprehensum inuenimus, ne ferro nisi in agricultura uterentur. Autor Plin. c. 14. 34.

Horatius Cocles &c. Præter supradictos hanc historiam scribunt Val. Max. cap. 2. 3. Plutarchus cap. 16. Paral. Frontinus cap. 13. 2. Virg. circa finem 8. Aeneid. ibi, Aspiceres. Huic Horatio ob insignem eius

gnem eius uirtutem statuam in Comitio Romani posuerunt, quæ postea de cœlo tacta est. Autor Plin. cap.5.& 6.34. Et Gellius cap.5.4. In quo ponte pugnauerit præter cæteros docet Plinius cap.15.36. Cocles autem dicitur, qui altero lumine cæcus nascitur. Autor Plinius.

Mutius Scæuola &c. Hanc historiam præter citatos lege apud Val.cap.3.3. Plutarch.cap.2. Parallel. Augustin.cap.20.4. Ciuitatis. Lactantiũ cap.1.5. diuinarum institutionũ. Extat nobile epigramma Martialis libro primo, Dum peteret regem &c. Syllius in 8.ibi, Scæuola cui &c.

Clœlia per patrium flumen &c. Habes historiam hanc à Valerio cap.2.3. Plin. cap.13. de uiris illustrib. Plutarch.ca.14. de laudibus mulierum. Virg.8. Aeneid.ibi, & fluuium. Copiosius Syllius uersus finẽ 10. Nescia proh sup. Plura dictauimus in annotat. Claudiani de laudib. Serenæ uxoris Stiliconis

Vna ex obsidibus regi data elapsa custodiam &c. Quot & quales fuerint obsides Porsennæ dati, & quæ fuerint conditiones pacis, docet Plutarchus ubi supra. Legendum autẽ est, elusa custodia.

Donet Aruntem &c. De Aruntis Tarquinij Superbi filij, & Iunij Bruti morte, præter supradictos lege Val. Max.cap.6.5. Id autem accidit, autore Plutarcho, in Publicola pridie Cal. Martias.

BELLVM LATINVM. CAP. XI

LAtini quoq; Tarquinios asserebant &c. Historiæ huius autores sunt Liu. 2. ab urbe cond. Dionys. lib.6. Plutarch. in uita Coriolani. Val. Max. lib.1.c. de mira. Fenest. tit.13. Plin.c.16. de uiris illustrib. Lactantius cap.8. secundi. Eutropius cap.11. primi. Oros. cap.13. secundi.

Duos in candidis equis &c. Hanc historiam scribunt fere omnes qui modo citati sunt. Frontinus autem cap.11. primi, dicit hoc excogitatum à Posthumio, ut exercitum suum animaret ad bellum. Idem sentit Cicero ubi supra. Simile uisum est in ea nauali uictoria, qua duce Lysandro Athenienses conciderunt. Cic. eodẽ loco. De Castore & Polluce fratribus plena sunt omnia. Lege quæ scribit Naso 5. Fast. At mihi pande precor. Vbi Antonius Fanensis, præceptor quondam meus, plura congeßit. Hyginius cap.23. secundi, narrat fabulam. Plinius cap.37. secundi. Seruius 2. Aeneid. ibi, Tyndarida. Item 6. Aeneid. Si fratrem Pollux. De his Latij oppidis Plin. cap.5. tertij. & Strabo lib.5. Syllius in 8. ibi, Faunigenæ socio. Plura Verg.7. & 10. Aeneid. Solinus cap.8. Pactusq;. Legendum est, nactusq;. De Algido, ad hoc propositum 6. Fast. ibi, Scilicet hic olim.

Peruicacißimi tamen Latinorum &c. Autores historiæ huius Liuius lib.3. & 4. Dionysius libro 6. Val. cap.4.4. August. cap.18.5. Ciuitatis. Plin. cap.17. de uiris illust. Eutrop. cap.11. primi. Oros. cap. 15. secundi. Plinius cap.3.18. naturalis historiæ. De L. Quintio lege quæ notaui de 4. consula. Hono. ibi, Lustratæ lictore casæ fascesq; saligni. Sic enim legendum est, non faces, ut paßim legitur. De dictatoris dignitate, origine, atque officio lege quæ notauimus tit.23. Fenestel. ubi male citatur Eutropius capite secundo primi, pro capite undecimo.

BELLVM CVM ETHRVSCIS, FALISCIS ET FIDENATIBVS. CAPVT XII.

ASsidui uero anniuersarij hostes ab Ethruria fuere Veientes &c. Historiam sex & trecentorum Fabiorum scribunt Liuius lib.2. Dionysius lib.9. Eutrop. cap.11.1. Oros. cap.6.2. Plinius cap.14. de uiris illustrib. Gellius cap.21.17. Eusebius lib. temporum. Seruius 6. Aeneid. super illud, Quo fessum. Syllius lib.2. & 7. Ouid.2. Fast. ibi, Idibus agrestis.

Et scelerato signatur nomine &c. De porta quæ antea Carmentalis dicebatur, lege Ouidium 2. Fast. ibi, Carmentis portæ. Fuit etiam Romæ sceleratus uicus prope uicum Cyprium, ut autor est Varro. Causam ponit Ouidius 6. Fast. ibi, Certa fides.

Sed ea clades &c. Bellum contra Veios gestum scribit Liuius libro 4. & 5. Augustinus cap. 17. secundi, & cap.17. tertij Ciuitatis. & qui mox citabuntur.

Ludi magistrum &c. Scribunt hanc historiam Liuius in 5. Val. cap.5.6. Plutarch. in uita Camilli. Plin. cap.23. de uiris illust. Claudianus in Gildonem. Ductosq; Camillus trans murum pueros, obsessæ reddidit urbi. Hinc fortaßis non sibi, sed urbi, in Floro legendum est: uel subito, pro sibi ultro. Nam teste Valerio, senatus censuit, ut pueri in patriã remitterentur. De Fidenatibus, Faliscis, ac spolijs Laertis Tolumnij late Liuius 4. ab urbe condita. De decimis Pythio à Romanis mißis præter alios Val. c. 2 primi & cap.6. quinti. Plura Liuius lib. quinto.

BELLVM GALLICVM. CAPVT XIII.

HInc ſiue inuidia deorum &c. Hiſtorici fere omnes huius belli meminerunt. Liuius lib. 5. Val. cap. de ominib. lib. 1. Plutarch. in Camillo, & Probl. 24. Plin. cap. 23. de uiris illuſt. Gel. cap. 17. 5. Auguſt. c. 22. 2. & c. 17. 3. Ciuit. Vegetius c. 28. 4. de re militari. Virg. 8. Aeneid. ibi, Atq; hic, Martialis in diſtichis, Hæc ſeruauit. Ouid. 6. Faſt. ibi, Cincta premebantur. Seru. 8. Aeneid.

Itaq; hunc diem Faſtis Roma mandauit &c. Pro huius rei notitia lege Plutarchum Probl. 24. Plura notaui in comment. Claudiani in Gildonem. ibi, Tarquinios.

L. Albinus &c. Val. 1. 1. uocat hunc L. Aluanium: ut in alterutro manifeſtus error ſit. De Manlio Capitone dicam c. 26. huius primi. De Fabij Pontificis ſacro præter ſupradictos Val. cap. 1. primi. De Genio deo plura Cenſorinus cap 2. de die natali.

Clangore anſeris &c. Scribunt hoc idem omnes quos citauimus. Plinius cap. 22. decimi, & capite tertio 29. ponit huius rei cauſam.

Panis ab arce iaculatus &c. Hiſtoriam ijdem qui ſupra. Ob id factum Romani poſt Gallorum receſſum in Tarpeio monte Ioui Piſtori arã conſtruxerunt, rẽ & rei cauſam lege 6. Faſt. ibi. Quẽ tu.

Inde Torquati &c. De Torquati cognomine Plinius cap. 28. de uiris illuſtrib. Liuius lib. 7. Gel. cap. 13. 9. Val. cap. 2. 3. Meminit Virgil. circa finem ſexti.

Inde Coruini &c. Lege apud Liuium 7. ab urbe con. Val. cap. 2. 3. Plin. cap. 29. de uiris ill. Alij fere omnes non ſatyriam auem; ſed coruum fuiſſe dicunt. Vel ſatyria genus corui eſt. Ob id factum Valerius hic annorũ triũ & uiginti conſul factus eſt. Hiſtoriã de Dolobella, qui Gallos deleuit, Eutr. c. 1. 2.

BELLVM LATINVM. CAP. XIIII.

COnuerſus à Gallis &c. De hoc bello lege Liuium li. 8. Val. cap. 2. 2. cap. 9. 6. & cap. 3. 9. Gel. cap. 13. 9. Plutarch. cap. 22. Paral. Eutrop. cap. 1. 3. ſic inquit: Latini, qui noluerunt milites dare, hoc quoq; à Romanis exigere cœperunt, ut unus conſul ex eorũ, alter ex Ro. populo crearetur. Quod quum eſſet negatum, bellum contra eos ſuſceptum eſt. Oroſ. cap. 9. 3. dicit hoc bellum Latinis rebellantibus illatũ anno CCCCIX. ab urbe con. Lege Plin. c. 26. & 28. de uiris illuſt.

Quum alter conſulum filium ſuum &c. Hiſtoriam hanc ſcribunt omnes qui ſupra. Plutarchus autẽ dicit ubi ſupra, hoc accidiſſe bello Samnitico. Pulchre hanc hiſtoriam ſcribit Gell. cap. 13. 9. ex ſententia Claudij Quadrigarij. Meminit Euſebius li. temporũ. Idem prius fecerat Epaminundas Thebanorũ dux, quum aduerſus Lacedæmonios belligerabat. Plutarch. cap. 21. Paral.

Alter quaſi monitu deorum &c. Autores hiſtoriæ. Plutarchus c. 33. Paral. dicit hoc accidiſſe in bello contra Albanos. Val. c. 6. 5. Plin. c. 5. 22. & c. 2. 28. naturalis hiſtoriæ. Plin. minor. cap. 26. de uiris illuſt. Auguſt. c. 20. 4. & c. 18. 5. Ciuitatis. Iuuen. Saty. 8. ibi, Plebeiæ Deciorum &c. Meminerũt Virg. 6. Aeneid. & Claudianus de quarto conſulatu Hono. ubi plura annotauimus. Deuouendi formulam ponit Liuius ubi ſupra. Plin cap. 2. 28. dicit extare deuotionis carmen.

BELLVM SABINVM. CAP. XV.

A Latinis aggreſſus eſt gentem Sabinorum &c. Huius belli tanquam parui momenti pauci meminerunt. Lege Plin. c. 33. de uiris illuſt. & Oroſ. cap. 20. 3. Dentati nomen unde ſumptum ſit docet Plinius ca. 16. 7. Plura annotauimus ſupra cap. 4. Iulij Solini. De Sabinis populis lege Plin. c. 12. 3. Et Syllium li. 8. ibi, Ibant &. De Sabino enim nomine non omnes idem ſentiunt.

BELLVM SAMNITICVM. CAP. XVI.

PRecibus deinde Campaniæ motus &c. Prima pars capitis huius, de precibus ſcilicet & deditione Campanorum habetur à Liuio li. 7. reliquũ habetur li. 9. ab urbe condita.

Terrarum pulcherrima Campania &c. Campaniæ laus ſumpta eſt ex cap. 5. 3. Plin. Solino cap. 8. Strabone li. 5. Eutrop. cap. 1. 2. Eleganter Syllius Campaniæ laudes cecinit li. 8. Iam uero quos diues opum, quos diues auorum, Et toto dabat ad bellum Campania tractu &c. De his populis plura Plinius capite quinto & duodecimo tertij.

Hos tamen quinquaginta annis &c. Aliter multo Appianus. Vltimi, inquit, Samnites erant, qui Ionium incolunt, & magno difficiliq; bello per annos octuaginta conflictati ſunt &c. Sententia Appiani uidetur uerior propter 24. triumphos de Samnitibus habitos.

Apud Caudinas furcas &c. Historia habetur à Liuio lib.9. Val. cap.1. quinti, cap.2. septimi. Plutar.cap.6. Paral. Plin.cap.30. de uiris illustrib. August. cap.17. tertij Ciuit. Lucanus in 2. Nota sunt quæ Eutropius & Orosius de hac ipsa clade scribunt. Lege quæ scribit Cicero 3. Officiorum. Gesta sunt autem hæc anno 426. ab urbe condita, autore Orosio.

BELLVM ETHRVSCVM ET SAMNITICVM. CAPVT XVII.

HActenus populus Romanus &c. Quæ hoc capite continentur scribit Liuius 9. & 10. ab urbe condita. Orosius ca.20. tertij. Eutropius cap.1. secundi. Gestum autẽ est bellum hoc anno 450. ab urbe condita, Oros. Eusebius autem dicit gestum Olympiade 117. Meminit Augustinus cap.17.3. Ciuit. De duodecim Ethruriæ populis supra c.5. De Calydonio & Hercynio saltu infra.c.10. & 12.4.

Quatuor agminum signa &c. In hoc enim bello quatuor florentißimi populi contra Romanos fuerunt, Ethrusci, Vmbri, Samnites, Galli, Orosius ubi supra. De hoc Fabio, qui primus Maximus in ea familia dictus est, Plinius cap.22. de uiris illustrib. Val. cap.1. secundi. De Ciminio monte plura Liuius libro 9. Frontinus cap.2. primi, & cap.1. secundi. Fabulam quandam de hac re narrat Seruius 7. Aeneid. ibi, Et Cimini cum monte lacum.

Decius more patrio &c. De huius Decij deuotione præter supradictos lege Plinium cap.27. de uiris illustrib. Plutarch. cap.33. Paral. Val. cap 6.5. Augustinũ cap.18.5. Ciuitatis. Lege notata cap.14. supra. Lege quæ scribit Cicero primo de diuinatione ante medium.

BELLVM TARENTINVM ET CVM PYRRHO REGE. CAPVT XVIII.

SEquitur bellum Tarentinum &c. De bello Tarentino scribit Florus abbreuiator Liuij, libro 12.13.14. Valerius cap.1.2. Plinius de uiris illustrib cap.35. Plutarchus in uita Pyrrhi. August. cap.17.3. Ciuitat. Orosius cap.2.4. Eutropius cap.1.2. Tarenti originem, situm, potentiam, &c. Lege apud Strabonem lib.6. & Plinium cap.10.3. Syl. lib.12. ibi, Verterat. Quando, & à quibus conditum, Euseb. libro temp. Quo autem tempore hoc bellum gestum est, docent Gel. c. ult.17. & Plin. c.6.8.

Hanc quoque per obscœnam contumeliam &c. Hanc contumeliam ponit Val. ubi supra. Vnus enim Romanorum legatorum urina inter cæteras contumelias aspersus est. Nec de his quæ paßi sunt conquesti sunt, ne quid ultra ac mandatum esset loquerentur.

Incognitis in id tempus elephantis &c. De elephantis plura Plinius in principio 8. Solinus cap. 38. Ambrosius cap.5. sexti Hexameri. Plinius cap.6.8. asserit Italiam primum uidisse elephantes Pyrrhi regis bello, & boues Lucas appellasse, quoniam in Lucanis primo uisi sunt, anno ubis conditæ 472. Plin. cap.13.3. Asculum non in Apulia, sed Piceno collocat. Idem dicit Florus cap.19. huius. Videtur igitur superfluum esse, in Apulia. Plutarch. dicit tertiam cum Pyrrho pugnam fuisse apud Beneuentum, nullam de Arusinis campis faciens mentionem. Hæc monendi causa dicta uolumus. Idem Plutarchus non Leuinum, sed Albinum consulem nominat. Idem præfectum Ferentanæ turmæ (sic enim legendum est) Eplacum uocatum dicit, ac dum pugnat confossum à Græcis.

Mißisq; legatis &c. Huius legationis præter cæteros meminerunt Plinius cap.24.7. Solinus ca. septimo, Cicero primo Tusculanarum quæstionum.

O quàm facile &c. Deest, dato, ut legatur sic: aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis dato, ex uetusto exemplari. Clarius Eutropius & Plinius minor ubi supra.

Quum perorante Appio Claudio Cæco &c. Sic enim legendum est. Historiam hanc præter supradictos lege apud Val. cap.14.8. Plinium cap.34. de uiris illust. Plutarchus in Pyrrho recitat huius Appij orationem, quam ad senatum habuit. Lege Ciceronem in Catone maiore. Ouid.6. Fast. Appius est autor, Pyrrho qui pace negata Multum animo uidit, lumine captus erat.

Senatum regnum esse confiterentur &c. De hac responsione sic ait Plutarchus: Cyneas Pyrrho retulit cum multa alia, tum senatum Romanum, multorũ regum sibi confessum uideri. Videtur igitur non regnum, sed regum legendum.

Venale caput &c. Hanc historiam præter cæteros lege apud Valeriũ cap.5. sexti. & latius apud Gellium cap. octauo tertij. Dictus autem est medicus hic Timochares. Multa Cicero Officiorum tertio.

De Curio & Fabricio plura apud Claudianum primo in Ruff. & de quarto consulatu Honorij.

Fictilia sua Samnitico præferret auro &c. Hanc historiam scribunt paßim omnes. Lege Valerium cap.3.quarti. Gellium cap.14.primi. Plinium cap.12.33. Augustinum cap.18,5. Ciuitatis. Plura in annotationibus Claudiani ex Iuuenale, Vergilo, cæteris.

Circa Ruffinum consulem V I. &c. Historia habetur à Floro 14.abbreu. Liuianarum. Val. cap. 4.2. Gel. cap.8. quarti. Dicit autem idem Gellius capite ultimo 17. hunc Ruffinum fuiße bis consulem, atq; antea dictatorem, Florus libro 14.abbreuiationum. Flumen Lyrim nominat Plutarchus Sirien. Sed tam in Floro quàm in Plutarcho Sirin legendum est. Plin. capite 11. tertij.

A uicesimo lapide &c. Plutarchus ait, Tantum enim proceßit, ut non amplius trecentis stadijs Roma abesset: hoc enim factum est mox postquam Leuinus uictus fuerat.

Nec ullus triumphus &c. De ritu triumphantum scripsi in annotationibus sexti consulatus Honorij in Claudianum. Lege Syllium libro ultimo. Item Ber. 16.1. & 1.4. Propert. Multa Philelphus epistola 12.29. Epistolarum, & Conuiu.2. De sensu & de docilitate elephantorum Plinius cap.3. & 5.8. Lege Aristotelem 9. naturæ animalium, & Strab. lib.15. Nugas multas de his garrit Albertus.

BELLVM PICENTE. CAPVT XIX.

Omnis mox Italia &c. Quæ hoc capite scribit Florus habentur 15.abbreu. Liu. Item Eutrop. cap.2.2. Signanter Orosius cap.5.4. Vide Frontinum cap.12.primi.

Tellurem deam promißa æde plac. &c. Vetustißimus Græcorum Melisseus, Iouis nutritor, Tellurem Vrani uxorem colere instituit. Lege Lactant. cap.22.primi. De eius in urbe Rom. æde. Plin. cap. 6.34. Val. c.3.6. Multa August. 4. Ciuit. Et Ouid. 4. Fast. Plura Macrobius primo Saturnalium.

BELLVM SALENTINVM. CAP. XX.

Salentini &c. Hoc bellum scribunt Florus 15.abbreu. Plinius cap.4. de uiris illustrib. Eutropius cap.2. secundi. De Pale dea abunde omnes. Lege tamen Ouidium 4. Fast. ibi, Nox abijt. Plura Seruius 3. Georg. & Solinus circa principiũ. De Salentinis & Picentibus Plin. cap.12. & 13. tertij.

BELLVM VVLSINENSE. CAP. XXI.

Postremi Italicorum &c. Quod hic scribit florus lege apud Valerium capite primo noni. Plinium de uiris illustribus cap.30. Orosium cap.6.quarti. Seruorum tractatus habetur primo Saturnalium Macrobij, & capite 8. sexti Valer. Max. Ad præsens propositum lege quæ scripsimus primo in Eutropium apud Claudianum circa finem.

DE SEDITIONIBVS. CAP. XXII.

Hæc est secunda ætas P. R. &c. De seditionibus extat cap.7.9. Val. Max. De Posthumio imperatore lapidato in castris late Liuius libro 4. ab urbe condita. De Appio Claudio idem Liu. libro 2. Et Valerius cap.3. noni, Dionysius Halicar. libro nono antiquitatum Romanarum.

Valerio Nerone &c. Fuiße letale odium inter Claudium Neronem & Liuium Salinatorem, docent Val. cap.4.2. cap.2.4. cap.3.9. Liuius lib.28. Plin. cap.50. de uiris illust. item cæteri. Sed quoniam Claudius Nero, non Valerius Nero dictus est: præterea non legitur inter Claudij Neronis acta, quando & quomodo fasces fracti fuerint, idcirco Valerone legendum est: ex paucarũ enim literarum abiectione facile locus hic potuit deprauari, quem locum antea, ut pleraq; alia, noster Cuspinianus restituit. Hanc Valeronis historiam abunde Liuius in secundo.

Vt Coriolanum &c. Pro hac historia lege Liuium lib.2. Dionysium lib.7. & 8. Plutarch. in Coriolano. Plin. cap.19. de uiris illustrib. Gel. cap. ultimo 17. Val. cap. ultimo primi, cap.3.4. cap.2. & 4. quinti. Appianus in principio primi bellorum ciuilium.

Cum senatu quoque &c. Hanc historiam scribunt Liuius in fine quinti, & Plinius cap 23. de uiris illustribus. Trita sunt quæ scribunt Eutropius & Orosius.

PRIMA VRBIS DISCORDIA. CAP. XXIII.

Prima discordia &c. Hæc discordia accidit Olympiade 71. Autor Eusebius libro temporum. De qua Liuius lib.2. Dionysius lib.6. Valerius cap.9.8. Plin. cap.18. de uiris illustrib. Eutrop. cap.12. primi. Orosius cap.6.2. Augustinus cap.18.2. Ciuit. & cap.17.3. eiusdem. Appianus libro primo bellorum ciuilium. Plura Pomponius tit.2. primi Digestorum. Fenestella tit. 25. Lege Ouid.3. Fast. ibi, Plebs uetus.

Plebs uetus. Sacer mons trans Anienem fluuium fuit, ultra tertium miliarium. Sacer autem appellatus, quoniam Ioui fuerat consecratus. Autores Festus, Appianus, August. cap. 18. 2. Ciuit. ubi plura.

Efficax fabula &c. Hanc fabulam narrant Valerius cap. 9. octaui. Et Plinius cap. 18. de uiris illustribus. Liuius ubi supra. Valerius autem Maximus uocat hunc Valerium, non Menenium Agrippam. Meminit Gellius capite uigesimo primo decimi septimi.

SECVNDA VRBIS DISCORDIA. CAP. XXIIII.

Secundam in urbe &c. Id factum est anno 302. ab urbe condita. Lege Solinum cap. 2. Eusebium libro temporum, Eutropium cap. 12. primi. Dionysius dicit Olympiade 82. hoc est, annis ab urbe cõdita trecentis expletis. lege ipsum lib. 10. Liu. lib. 3. Val. cap. 1. sexti, Plin. cap. 21. de uiris illustrib. Oros. cap. 13. secundi, August. cap. 17. tertij Ciuitatis. De duodecim tabulis, quando & à quo editæ, Dionysius ubi supra. Gel. cap. ultimo 17. & cap. 1. 20. Sæpißime habetur earum mentio in libris Digestorum signanter tit. 2. 1. Plura Fenestella tit. 29. Scriptæ autem fuerunt ab Hermodoro Ephesio, cuius statua fuit Romæ in Comitio. Autor Plinius cap. 5. trigesimi quarti.

TERTIA VRBIS DISCORDIA. CAP. XXV.

Tertiam seditionem &c. De hac tertia discordia late Liuius libro quarto. Meminit Augustinus capite decimo septimo tertij Ciuitatis, ubi plura annotauimus.

QVARTA VRBIS DISCORDIA. CAP. XXVI.

Quartam honorum cupido &c. Hanc quartam discordiam lege apud Liuium uersus finem sexti, & Valerium Max. cap. 6. octaui, Plinium cap. 20. de uiris illustribus.

Lictoriæ uirgæ sonum &c. Mos fuit ut lictor uirga fores percuteret, quas consul fuerat intraturus, quem morem tangit Plinius capite trigesimo septimi.

Sp. Caßium &c. Autores historiæ sunt Liuius lib. 2. Dionysius lib. 8. Valerius cap. 8. quinti, & cap. 3. sexti. Romæ simulachrum ex ære factum Cereris ex peculio Sp. Caßij, quem regnum affectantem pater ipsius interemerat, Plinius capite quarto trigesimi quarti.

Alteram plebeio &c. Sic hunc locum corrigimus: Alteram plebeio Stoloni, qui quodam tempore, quod uxor eius lictoriæ uirgæ &c. Ex uetusto codice.

Quum ut in magno &c. Legendum est, quum iam in magno.

Nunc pudicitiam &c. Hoc dicit propter uirgines Vestales. Per id enim tempus Romæ Vestalis uirgo Sunia in stupro deprehensa, uiua defossa est. Item una uirgo Romæ in corruptione deprehensa percutitur. Rursus Romæ uirgines Vestales ob stupri reatum in terra obrutæ. Autor Eusebius in temporibus. Potest quoq; de Virginia intelligi, ut capite 24. habet Florus.

Sp. Caßium agraria lege, Melium largitione regiæ dominationis suspectum &c. Sic enim hunc locum primi correximus, quũ antea legeretur, Caßium agraria lege suspectũ regiæ dominationis &c.

Tum natalium dignitatem &c. Id ait, quoniam diu Romani restiterũt, ne plebei cum patritijs matrimonio aut magistratibus iungerentur, ut hoc capite & præcedenti Florus ait.

Manlium uero Capit. uin. &c. Hanc historiam lege apud Liuium libro sexto, Valerium capite 3. sexti, Plinium cap. 24. de uiris illustribus, Plinium cap. 28. septimi naturalis historiæ, Florum capite 13. supra. Virg. in 8. In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat, Romuleoq; recens horrebat regia culmo. Lege quos citauimus cap. 13. supra.

Ab illa arce &c. Damnati enim de Tarpeio monte præcipitabantur. Acron 6. 1. Serm. Horatij.

Fretum illud adolescentiæ &c. Adolescentes concito mari comparat, quorum, ut ait Lactantius, quum sit ætas lubrica, frenari ac regi debet. Tempus enim à Bruto Collatinoq; consulibus in Appium Claud. Quintum Fuluium consules uiris armisq; incitatißimum, in libri exordio adolescentiæ comparauit.

ANNOTATIONES

IO. CAMERTIS IN L. FLORI LIB. II.

CAPVT PRIMVM.

DOMITA subactaq; Italia &c. Pro notitia huius primi capitis, quod locũ prooemij obtinet, lege Appianũ in operis prologo, qui post enumerationẽ terrarum, quas Romani subegerunt, sic inquit: Harum tantarum innumerarumq; nationũ, quum tanta sit magnitudo, Italiam tamen magno labore, ac uix quingentis annis stabilem sibi reddidere &c. Ibidem præterea enumerat ferè nationes omnes quæ Ro. paruerunt. Lege Dionys. in principio 1. antiq. Ro.

Dare Italiæ caput &c. Syl. in principio, Quæsitumq; diu, qua tandem poneret arce Terrarumq; fortuna caput. Quæ hic secundus liber contineat docet Flor. c. 19. huius 2.

PRIMVM BELLVM PVNICVM. CAP. II.

Igitur uictor Italiæ populus &c. Punicum bellum primũ inceptum est anno tertio 128. Olympiadis, Dionys. lib. 1. Manifestus error in omnibus Solini codicibus impreßis hucusq;, quibus asseritur Punicum bellum primum fuisse anno 389. ab urbe condita. Melius Gel. cap. ultimo 17. Anno, inquit, post Romam conditam 400. fermè & 90. Consulibus Appio Claudio, cui cognomentum Caudex, Appij illius Cæci fratre, & M. Fuluio Flacco, bellum aduersus Pœnos primum cœptum. Orosius cap. 8. 4. Liuius in principio 31. dicit primum bellum inceptum anno 478. ab urbe condita. Plin. cap. 3. 33. Argentum, inquit, signatum est anno urbis 585. Q. Fabio consule quinq; annis ante primum bellum Punicũ. De hoc primo bello Punico Florus lib. 16. & sequentibus abbreu. Eutrop. cap 5. 2. Oros. cap. 8. 4. August. 18. 3. Ciuit. Plin. cap. 37. & sequentibus Appi. in Libyco. Meminit sæpe Val. ut suis locis citabitur.

Imperium orbis agitabat &c. Claudianus in bello Getico, Commouit atrox iniuria patres, Vrgerent maiora licet, grauiterq; tulere, Vrbibus inter se claris de culmine rerum Congreßis, aliquid gentes audere minores. Secundum bellum Punicũ eleganter & cõpendiose canit Syl. lib. 6 per totum.

Fabulosis monstris. Scyllam & Charybdim intelligit. Lege Virg. 3. Aeneid. ibi, Tum procul. Plura Ouid. 13. Met. ibi, Scylla latus dextrũ &c. Sumpta ex 12. Odyß. Hom. Luc. in 1. ibi, Ignis in hesperiũ.

Aestuq; uiolentum. Ruffus Auienus de Sicilia, Hic iter infidum pelagi, miserandaq; fata, Inuoluere salo, fluctuq; hausere uoraci Sæpe rates: surgunt angustæ marmore fauces, Arctaq; præcipitant properũ confinia pontũ. Sic enim locus legendus uidetur. Lege Diod. in 6. Iust. in 4. Syl. li. 14.

Duillius imperator &c. Plura de Duillio isto Val. cap. 6. 3. cap. 3. 7. Frontinus cap. 5. 1. & cap. 3. 2. Ei Romani in signum uirtutis statuam posuerunt. Plinius cap. 5. 13. De classe sexaginta diebus parata Plinius cap. 40. 16. Syl. circa finem 6. ibi, Iustum Sarrana. Plin. cap. 18. de uiris illustribus.

Calatino dicta &c. Quod hic de Calatino & Calphurnio scribunt præter supradictos Plinius c. 39. de uiris illustrib. Front. cap. 5. 1. Cuius, inquit, uarie tradidere nomen: alij Laberiũ, nonnulli Quintum: plurimi Calpurnium Flammam uocitatum scripserunt.

Leonidæ famam adæquauit &c. Quæ de Leonida hic habentur scribunt Iustinus in 2. Val. cap. 2. 5. Herodotus autem uarie hanc narrat historiam: Dicit enim duos uel tres superfuisse. Ibidem etiam recitat epigrammata horũ interfectorũ: lege si uis. Item Front. cap. 2. secundi.

Licet nihil scripserit sanguine &c. Non legi, quantum memoriæ nunc occurrit, Leonidam, uel aliquem ex eius socijs sanguine aliquid scripsisse. Idcirco intelligendum uidetur de Othryade Lacedæmonio. De qua re in annotationibus Solinianis ex Val. Max. Plutarcho, Ouid. complusculα congeßimus.

M. Attilio duce &c. Vltra ea quæ supradicti scribunt, lege Gellium cap. 3. & 4. sexti. Plinium c. 40. de uiris illustrib. Augustinũ cap. 15. 1. Ciuitatis. Valerium cap. 1. primi, cap. 4. secundi, cap. 2. noni. Frontinum cap. 3. secundi. Lege Syllium lib. 6. & Horatium 5. 3. Carminum, Ciceronem 1. Officiorum, & in Paradoxis. Plura congeßimus cap. 15. & 24. primi Ciuitatis.

Ducesq; ipsos aut cepisset. Legendum est, cecidisset.

Circiter centum elephantorum captiuitas &c. Præter citatos de hac re lege Frontinum cap. 7. 1.

Plinium

Pliniũ cap. 43. 7.naturalis historiæ. De numero horum captorum elephantorum uarie ſcribunt. Pli. cap.6.8.dicit fuiſſe 142. Oroſius cap.8.quarti, 104. Hoc autem factum eſt anno 502. ab urbe condita. Plinius cap.6.octaui. De Clau.pullos ſubmergente præter alios Valerius capite de ominibus. Cicero ſecundo de natura deorum. Florus 19.abbreu. Frontinus cap.13.ſecundi.

BELLVM LIGVSTICVM. CAP. III.

PEracto primo Punico bello &c. Quæ hoc capite continentur ſcribunt Florus 20.abbreu. Eutropius cap.1.tertij. Oroſius cap.11.& 12.quarti. Auguſtinus cap.9.tertij Ciuit. Quoties Iani porta clauſa fuerit dixi cap.2.1. De his populis præter alios Plinius cap.4.5.17.quarti naturalis hiſtoriæ.

BELLVM GALLICVM. CAP. IIII.

GAllis Inſubribus &c. De hoc bello ſcribunt Florus 20.abbreu. Eutrop.cap.1.3. Oroſ.cap.13.4. Plin.cap.45.de uiris illuſt. Euſeb.lib.temp. Plura Plutar.in Marcello. Sanè in hoc bello P.R.ſociorum Latiniq; nominis trecenta milia armatorum habuiſſe dicitur. Florus ubi ſupra. Plin.c.20.3.dicit equitũ 80.milia, peditum 70.milia, ſine externis ullis auxilijs, atq; etiam tunc ſine Tranſpadanis.

Quippe ſicut &c. Videtur legendam ſed experimento deprehenſum eſt, quod ſicut primus &c. Liuius in decimo, Eutropius in tertio.

Alpina corpora, &c. Docent philoſophi, locatũ conſequi locorum conditiones. Hinc ait Porph. locum eſſe generationis principium, quemadmodum & patrem. Lege Ciceronem lib.de fato. Plin.cap.58.8. Seru.6. Aeneid. Principio cœlum. Proper.3.2. Virg.1.Georg. India &c.

Hi ſæpe & alias &c. Hanc hiſtoriam præter ſupradictos ponit Val.cap.2.3. Plin.cap.20.3. naturalis hiſtoriæ. Plutarchus uocat regem hunc Briomarum. Rurſus Eutropius dicit uocatum Ariobiſtonem. Nam Arioſtonicus alter fuit, de quo cap.20.huius ſecundi.

Marti ſuo. Docet Cæſar 6.Comment.de bello Gallico circa medium, Gallos quinq; potiſsimũ deos coluiſſe, Mercurium, Apollinẽ, Iouem, Martem, atq; Mineruam. Cauſam lege ibi.

Opima ſpolia. De ſpolijs opimis Val.tit.2.tertij, cap.3. 4.5. Propertius 12. quarti. Varro & Plutarchus docent unde dicta ſint.

Tertia poſt Romulum &c. De qua re ſic Virgil. 6.Aeneid. Aſpice ut inſignis ſpolijs Marcellus opimis Ingreditur, uictor uiros ſupereminet omnets. Hic rem Romanam magno turbante tumultu Siſtet eques, ſternet Pœnos, Gallumq; rebellem, Tertiaq; arma patri ſuſpendet capta Quirino. Lege Seruium, annotantem plura de opimis ſpolijs.

BELLVM ILLYRICVM. CAP V.

ILlyrij, ſeu Liburni &c. De hoc bello, & alijs cum Illyrijs geſtis, extat liber Appiani, qui Illyrius inſcribitur. Lege Florum 20.abbreu. Eutrop.cap.1.3. Oroſ.cap.13. quarti.

Legatos quippe noſtros &c. Legati hi fuerunt P.Iunius, & T.Corruncanius, quibus in roſtris tripedaneæ ſtatuæ à R. P. poſitæ ſunt. Huius genus ſtatuæ tribui ſolebant iniuria cæſis. Autor Plinius cap.6.34.ubi Teucæ huius reginæ mentionem facit. De Illyrijs & Liburnis idem Plin.c.21.& 22.libri 3. Plura Appianus ubi ſupra. Videtur iſtud bellum præceſsiſſe bellum antedictum. Lege quos citauimus.

BELLVM PVNICVM SECVNDVM. CAP. VI.

POſt primũ Punicũ bellum &c. Bellum ſecundum Punicũ ſcribunt ferè omnes tam Latini quàm Græci. Liu.tota Decade 3. Plutar.in uita Fabij Max. Scipionis ſuperioris, M. Marcelli, Hannib. Q. Flaminij. Appianus in Libyco. Plin.c.42.43.45.48.49.50.de uiris ill. Polyb. per totũ. Eutrop. in 3. Oroſ.in 4. Auguſt.ſæpe, maxime tamen cap.19.3.Ciuit. Syl.Italicus per totũ. Quæ ſparſim ſcribuntur ab alijs, ſuis locis adducentur. Inceptũ autem eſt bellum Punicũ ſecundum anno 535. Solin.c.2. idem ferè ſentit Oroſ.c.14.lib.4. Videntur plures quàm quatuor anni intercepti inter finem primi belli Punici, & initiũ ſecundi. Primũ enim bellum Punicũ per 22.annos contractũ eſt. Eutrop.c.1.3. Quid ſi legas, uix 24.annorũ requies. Hæc tantũ monendi cauſa dicta uelim. Hoc bellum, ut hic dicitur, 18. annos habet. Infra autem cap.5.3.& Oroſ.cap. 20.4.dicit 17. Eutropius in fine tertij ait hoc bellum finem accepiſſe poſt annum 19.quàm cœperat. Appianus dicit 16. fere.

Similior uicto ſit populus qui uicit &c. Idem dicit Liuius in principio 3.Decad. Syl in primo, Propiusq;, inquit fuere periclo Quis ſuperare datum. Auguſtinus cap.19.tertij Ciuitatis.

At pudebat nobilem populum &c, Carthaginenses uicti primo Punico bello, pacem à Ro. orant, quam conditionibus antepositis ilico consequuntur. Conditiones autem erant, ut Sicilia Sardiniaq; decederent: proq; impensis bellicis puri argenti tria milia talentorum Euboicorũ æquis pensionibus per annos uiginti penderent. Lege Eutropium, Orosium, Polybium, Syl in 1. Gens rediuiua. Ibidem quoq; narrat iuramentum Hannibalis contra Romanos. Idem Virg. in 10. ibi, Quum fera Carthago.

Saguntus deleta &c. Saguntinorũ cladem præter citatos scribit August. cap. 20. 3. Ciuitatis. Valerius cap. 6. 6. Signanter Syl. 1. inibi, Prima Saguntinas &c.

More legitimo &c. Hunc morem lege apud Fenestellam titulo decimo, ubi plures citauimus.

Dux legationis Romanorũ. Hi autem legati fuerunt Fabius Pamphilus, & Valerius Publicola. Lege Liuium 21. ab urbe condita. Eleganter hanc legationem canit Syl. in principio secundi.

Medias perfregit alpes &c. Transitum Hannibalis per alpes describit Syl. lib. 3. ibi, Sed iam præteritos. Virg. 10. Aeneid. Quum fera Carthago Romanis arcibus olim Exitium magnũ, atq; alpes immittet apertas. Iuuen. Sat. 10. de Hannibale, Pyrenæum Transilit, opposuit natura alpemq; niuemq;: Diduxit scopulos, & montem rupit aceto. Lege August. Seruiũ, Liuium, Plutarchũ in uita Hannibalis.

Fabulosæ altitudinis &c. Fingunt Græci Herculem primum transisse alpes, eundemq; frangentem montis saxa, superos aspexisse. Syl. in 3. Primus inexpertas adijt Tyrinthius arces, Scindentẽ nubes, frangentemq; ardua montis Spectarunt superi &c. Meminit Plinius cap. 17. tertij.

Inter Padum & Ticinum &c. Hanc historiam recitant Liuius lib. 21. Val. c. 4. 5. Plut. in uita Scipionis & Hannibalis. Plin. c. 49. de uiris ill. Syl. lib. 4. ibi, Cœruleas Ticinus aquas &c. Itẽ cæteri. De clade apud Trebiã accepta Liu. in 1. 3. Decad. Syl. lib. 4. ibi, At consul tristis &c. Lege citatos antea.

Trasimenus lacus &c. Historiam scribunt Liu. 22. ab urbe cond. Late Syl. lib. 5. per totum. Plin. c. 42. de uiris illust. Lege præter citatos supra, Ciceronẽ primo diuin. Val. lib. 1. cap. de prodigijs. Aduertendum quidem, Flaminiũ ab Hannibale superatũ IX. Cal. Iulias. Ouid 6. Fast. ibi, Non ego te. Plin. cap. 85. huius terræmotus meminit. Creberrimus, inquit, Punico bello, intra eundem annũ septies atq; quinquagies nunciatus Romam. Quo quidem anno ad Trasimenum lacum dimicantes, maximum motum neque Pœni senserunt, neque Romani.

Quartum, id est, penè ultimum &c. Cannensem cladem scribunt late, Liu. lib. 22. Polyb. lib. 5. Val. cap. 1. & 2. primi. c. 2. 2. c. 4. 3. c. 5. 4. c. 4. & 6. 7. Plin. c. 18. 15 Lactan. c. 17. 2. Plura August. ubi supra. Syl. in toto nono. Front. c. 2. 2. Lege alios quos citauimus. De numero Ro. interfectorum non omnes idem sentiunt. Lege Plutar. in Hannibale. Dissentiunt quoq; in annulorum mensura. Val. cap. 2. 7. August. cap. 19. tertij Ciuitatis. Plin. cap. 1. 33. asserunt fuisse modios tres. Liuius in principio 23. ab urbe cõdita recenset uarias scriptorum sententias. Parce ferro &c. Idem recitat August. ubi supra.

In terrore Vergelij &c. Quid Vergelij uerbo intelligat Florus, nondum capio. Nec enim uiri aut loci, siue fluuij nomen esse comperi. Quid si legas, in terrorem Varronis, uel in terrorem Seruilij, cui teste Liuio, media pugna tuenda data est. Meminit & Plutarchus. Vel, in terrorem uergentis, id est, sese inclinantis exercitus.

Adherbalem. Legendũ est ex Liuio ubi supra, Maharbalẽ. Arma non erant. Deerat iuuentus &c. Præter supradictos lege Val. cap. 6. 5. & cap. 6. 7. Plura August. cap. 19 3. Ciuitatis. Seruius autem 9. Aeneid. super illud, Sustulerat &c. ponit legem qua serui à militia arcebantur, asserens tantũ post bellum Cannense hoc Ro. permissum. Mulieres castra sequi, ingenti turpitudini apud maiores fuit. Vnde bellaturus Pompeius, in Lesbo reliquit uxorem. Lege Seru. 8. Aeneid. Quæ hic dicuntur de seruis & templorum armis, signanter Syl. lib. 10. ibi, At patres &c. De triplici militũ genere Seru. 8. Aen.

Imperij spes Fabius fuit &c. Quæ hic de Fabio Maximo dicuntur lege copiose apud Plutarchum in uita eius. Item Liuium libro uigesimo secundo ab urbe condita.

Cognomen nouum &c Fabio huic quatuor fuere cognomina, Maximus, Ouicula, Verrucosus, Cunctator. Plinius cap. quadragesimo tertio de uiris illustrib. Plutarchus ubi supra. Syl. lib. sexto, Pulcherrima quorum Cunctando Fabius superauit facta &c. Idem in septimo. Ac ni sacra seni uis, impressumq; fuisset Sistere cunctando fortunam aduersa fouentem, Vltima Dardanij transisset nominis ætas. Virgilius 6. Aeneid. Vnus qui nobis cunctando restituis rem. Quod ex Ennio sumptum est. Originem Fa-

biorum scribit idem Syllius circa finem 6.ibi, Stirpe genus. Ouidius 1.Fast. Nec gradus est. Gesta hæc à Fabio lege apud Liuium libro 23.& Syllium libro 12.

Inde Claudio Marcello &c. Quæ hic scribit Florus habentur à Liuio circa finẽ 3.& deinceps Decadis 3.& à Syllio lib. 12.ibi, Campo nola &c.& infra, Ille dies. Et longe post, At Libyæ ductor. De hoc Marcello Val.cap.1.1.cap.3.2.cap.2.3. cap.1.4. cap.1.5. cap.7.8. Plura Plutarchus in uita eius. Plin.cap.25.7.dicit hunc Marcellum undequadragies dimicasse, quem solus Iulius Cæsar transgressus est. Lege quæ annotauimus capite 4. huius secundi. Gesta à Sempronio Gracchho lege ex 24. & 25. T.Liuij. & 12.Syl. Nuncius interea. Nam huc usq; &c. Habentur hæc abunde cap.6.7.Valerij Maximi. August.cap.19.tertij.Ciuitatis,Liu.in 24. O horribilem in tot &c. Claudian. Hæc obuia uotis Innumeras uno gereret quum tempore pugnas, Hispanas caperet, Siculas submitteret urbes, Et Gallum terris prosterneret, æquore Pœnum. Nunquam succubuit damnis,& territa nullo Vulnere, post Cannas maior Trebiamq; fremebat. Et quum iam tremerent flammæ, murumq; teneret Hostis, in extremos aciem mittebat Hiberos.

Sicilia mandata Mar. &c. Scribuntur hæc à Liuio 25. ab urbe condita. Syl.lib.14. in principio. De Archimede notaui plura in Claudiano, super illud, Iuppiter in paruo. ex Valerio Max. Plinio, Lactantio, Ouidio, Syl. Strab. Fabulam Arethusæ lib.5.Met.Ouid. Itẽ Ecloga 10.Virg.& 3.Aeneid. ibi, Ortygiam Alphæũ.Plin.c.106.2.c.5.31.De Syracusis plura notaui cap.6.1.Ciuit.August.

Sardiniam Gracchus arripuit &c. Historiam hanc copiose scribit Liuius lib.23. Item Syl.lib. 12. ibi, Interea assuetis. De hac insula Plin.cap.7.3.Solinus cap.10.Diodorus lib.6.Plura in annotationibus nostris Claudiani in Gildonem. Humanæ speciem plantæ.

In Hispaniam missæ Cn.& P.Scipiones &c, Historiã hanc scribunt Liuius 23.24.25.ab urbe cond. Appianus in Libyco, Plutarchus in uita Scipionis. Valerius c.de ominibus c.2.2.c.7.3.Syl.lib.13.Interea geminos terra crudelis Hibera Fortuna abstulerat, permiscens tristia lætis, Scipiadas magnumq; decus, magnumq; dolorem. Et lib.15. Attritis rebus geminus iacet hoste superbo Scipio, belligeri Mauortia pectora ferens. Seru.6.Aeneid.ibi, Quis Gracchi genus? &c. Eutrop.c.5.Oros.c.17.4.

Igitur in ultionem patris & patrui missus Scipio &c. Quæ hic scribuntur de Scipione superiori habentur late à Liuio lib.26.& sequentibus. Plutarchus in uita Scipionis. Val.cap.7.3. c.3.4.c.8.9. & sæpe alibi. Plura Gel.c.8.6.c.18.19.& 20.4. c.4.3.c.20.2.c.8.12.c.8.16.Plin.c.9.24.27.30. septimi.cap.45.16.cap.3.21.cap.6.22.cap.6.34. August.cap.21.3. Ciuitatis. Syl.13.usque ad finem operis. Virgilius 9. Aeneid. Quis Gracchi genus? &c. Claudianus, Ergo seu patrijs primæuus manibus ultor Subderet Hispanum regibus oceanum.

Hannibalis eruditricem &c. Hoc dicit, quoniam Hamilcar Hannibalis pater in Hispaniam cum imperio missus, Hannibalem puerum secum duxisse traditur. Lege Plutarchũ in uita Hannibalis.

Qui captiuos pueros puellasq; &c. Historiã hanc habet Liuius circa medium 27. ab urbe cond. Eutrop.cap.5.3. Plutarchus in uita eius. Plinius cap.49.de uiris illustrib. Notanter Syl.lib.15. ibi, Quin etiam accitus &c. Simile fecisse Scipionem Aemylium cap.1.5.Valerius asserit.

Pleraq; ad hostem defecerant &c. Populos, qui post Cannensem cladẽ à Romanis ad Hannibalem defecerunt, scribit Liuius in fine secundi, tertiæ Decadis,& Syl.lib.11. per totum.

Tarentinus ad nos redierat &c. Tarentũ post Cannensem cladem à Ro.ad Hannibalem defecerat, Syl.in 11.Inde Phalantæo leuitas animosa Tarentũ Ausonium laxare iugum. Qua arte Tarentũ à Fabio recuperatum, docet Liu.lib.27.Aug.c.6.1.Ciu.Eleganter Syl.lib.15. ibi, Tunc & Tyndarij &c.

Parte exercitus &c. Pro hac historia lege Liuium libro 26. Plin. c. 18, 15. Syl.lib.12. ibi, Hic ut signa ferox &c. per totum. Lege quos supra citauimus.

Tanta uis imbriũ &c. Historiã hanc lege apud Liu. lib.26.Et apud Syl.lib.12.ibi, Iuppiter Aethiopum &c. per totum. Claudianus in bello Getico, ibi, Hanc urbem insano &c. Aug.c.20.3.Ciuitatis.

Venalis Romæ fuit &c. Idem scribunt Plutarchus in uita Hannibalis,& Frontinus cap.18.3.

Hasdrubal frater Hannibalis &c. Autores historiæ sunt Liu.27. Val.c.7.3.c.4.7. Front.c.1.2. Eleganter Syl.lib.15.ibi, Terrore interea &c. per totum. Idem scribunt citati superius in hoc capite.

Fratris caput uidisset &c. Syl.libro 15. Tum Nero procera sublimia cuspide portans Ora ducis

cæsi. Cannas

cæsi. Cannas pensauimus, inquit Hannibal, & Trebiam, & Trasimeni littora tecum fraterno capite, I duplica nunc perfida bella, Et gemina: arcesse acies. Hæc præmia restant, Qui tua transmissis optarint alpibus arma. Lege præcitatos. Transitum Scipionis in Aphricam lege apud Liuium libro 29. Syllium libro 7. ibi, Ipse alacer &c.

Quas ille Hasdrubalis copias, quos Syphacis &c. Copiose hanc historiam scribit Liu. lib. 29. & 30. Lege Frontinum cap. 2. 1. Syl. lib. 17. ibi, Spesq; Syphax. Aduertendum sane, Syphacem à Scipione uictum 8. Cal. Iulij. Ouidius 6. Fast. ibi, Postera lux &c.

Non fuit maior sub imperio Ro. dies &c. Quæ hic scribuntur lege apud Liuiū lib. 30. Plutarchū in Scipione. Syl. lib. 17, ibi, Dum stetit &c. Pugnam autem hanc, & acierum instructionē præter Liu. Plutarch. Syl. Lege Frontinum cap. 3. 2. Latius Appianus in lib. qui Libycus inscribitur. Triumphum Scipionis de Aphris uictis eleganter canit Syl. in fine 17. De tempore quo Punicū bellum secundū gestum est præter citatos in principio huius capitis, lege Liuium in procemio quartæ Decadis.

BELLVM MACEDONICVM PRIMVM. CAP. VII.

Post Carthaginem uinci neminem puduit &c. Ea quæ hoc capite continentur scribunt Liuius lib. 31. 32. 33. 34. Val. cap. 8. 4. cap. 2. 5. Iustinus lib. 29. & 3. Eutrop. cap. 14. Oros. cap. 20. 4. Plutarch. in Paulo Aemylio. Syl. lib. 15. ibi, Æmathio interea. Gestum autē est bellum hoc anno 551. ab urbe condita, secundum Eutropium cap. 1. 4. Orosius dicit anno 556.

Implorantibus Athenis auxilium &c. Tempore initiorum duo iuuenes Acarnanes, qui non initiati erant, Athenas uenerunt, & in sacrariū Cereris cum alijs pluribus suis intrauerunt: ob hoc, tanquā nefas summum commisissent, ab Atheniensibus cæsi sunt. Acarnanes mortibus suorum commoti, ad uindicandum illos auxilium à Philippo petierunt. Ille autem ultra ius uictoriæ, in templa, aras &c. Autor Liuius libro 31. Faciunt huc quæ scribit Augustinus cap. 4. 5. 6. primi Ciuitatis.

Primo igitur Leuino consule &c. Legendum uidetur, Leuino prætore, ex 31. Liuij, 29. Iustini. Item ex Floro hoc ipso capite: Manifestam, inquit, uictoriam nata in prætoria puppe laurus pollicebatur. Huius historiæ meminit Claudianus in bello Getico. ibi, Nec pœnam. De lauro in puppe nata lege Liuium libro trigesimo secundo.

Rhodij nauticus populus &c. Scribit Eusebius lib. temporum, Rhodios sæpe maris imperium obtinuisse. Faciunt ad hoc quæ scribit Gellius capite 3. septimi.

Sub Nabide suo &c. Historiam hanc habes ex 34. T. Liuij. Iust. lib. 31. Eutrop. & Oros. ubi supra.

Quæ gaudia &c. Præter ea quæ de hac historia scribit Liuius, & citati hoc ipso cap. Lege Val. Max. cap. 8. 4. Nemeæ in Theatro. De quatuor ludorum generibus apud Græcos Lactan. 6. Theb. in principio. Item cap. 20. 6. diuinarum institutionum, & cap. 4. Epitomes: sic enim liber ille inscribi debet, non Nephithomon, ut paßim legitur. Plura de ludis scribit Augustinus cap. 32. primi Ciuitatis. Item libro 2. & 4. ibidem. Lege cap. 1. secundi.

BELLVM SYRIACVM REGIS ANTIOCHI. CAP. VIII.

Macedoniam statim & regem Philippum &c. Bellum aduersum Antiochum regem à Rom. gestū scribunt Liu. 3. 4. & sequentibus. Iustin. lib. 31. Appianus in Syrio. Val. c. 1. & 5. 2. c. 5. 3. c. 1. 4. c. 3. 7. c. 1. 8. cap. 1. 9. Gel. cap. 5. 5. Plutarchus in uita Scipionis. Plinius cap. 34. de uiris illustribus. Eutrop. c. 1. 4. Oros. c. 20. 4. Frontinus cap. 7. 4. Quo gestum sit tempore, docet Euseb. lib. temp.

Quippe quum Persas, Xerxem, atque Darium cogitarent &c. Quæ hic dicuntur lege apud Herod. libro 3. & 7. Item Iustinus libro secundo & tertio.

Perfoßi inuij montes &c. Autores historiæ sunt Solinus cap. 14. Mela lib. 2. Hero. lib. 7. Cicero 2. de finibus bonorum & malorum. Virg in Culice, ibi, Non perfossus Athos. Iuuen. Saty. 10. Velificatus Athos. Xerxes ante experimentum belli fiducia uirium ueluti naturæ ipsius dominus, et montes in planum deducebat, & conuexa uallium æquabat, & quædam maria pontibus sternebat, quædam ad nauigationem cōmoda per compendium ducebat. Autor Iustinus lib. 3. Plura Hero. ubi supra.

Quū humore cōtinuo Cumanus Apollo sudaret &c. Quod hic scribit Florus lege apud diuū Aug. c. 11. 3. Ciuit. Cicero autē 2. diuinationis docet huius rei causam: sed locū aßignasse sufficiat. Aduertendum simile prodigium sæpe ui um, ut ibidem August. annotat. Lege Eusebiū 5. præparationis Euang.

Impulere

Impulere regem in id bellum &c. Offensi Aetholi quia non ex arbitrio eorum Macedonia quoque adempta regi, ut data sibi in præmium belli esset, legatos ad Antiochum mittunt, qui eum adulationis magnitudine in Romana bella spe societatis uniuersæ Græciæ impellerent. Iustinus libro 30. Latius Liuius libro 35. Societatem Hannibalis cum Antio habet Iustinus libro 31. Liuius 35. ab urbe condita. Facetißima cauillatio Hannibalis apud regem Antiochum scribitur capite 5. quinti Noctium Atticarum Gellij. *Duce Aemylio Regillo.* Hunc Lucium Neuium uocat Iustinus. Appianus Liuiũ nominatũ dicit, cui postea, inqt, L. Aemyl. Regulus ad curã claßis successerat. Hæc nõ nisi monendi causa.

Hic ille positis &c. Antiochus quum peruenisset in Chalcidem, formosæ uirgunculæ amore correptus, quinquagesimum iam excedens annum, quum tanta mole bellorum premeretur, nuptias tamen solenni more celebrauit &c. Lege Appianum ubi supra.

Attilio Glabrione &c. Hunc Appianus Acinium Manium uocari dicit, Orosius Acilium. Thermopylæ unde dictæ, & earum descriptio præter Plinium & Strabonem, habetur ab Appiano ibidem. Plura Hero. in 7. De trecentis Laconibus apud Thermopylas interfectis notaui supra pauca cap. 2. huius secundi. Item Appianus uocat præfectum claßis Antiochi Polyzenem. De Syria, ubi hoc bellũ gestum est, & à qua nomen habet, scribunt Mela in primo, Strabo libro 16. Plinius capite duodecimo & circa, libro quinto. Solinus capite 58.

BELLVM AETHOLICVM. CAP. IX.

SYriaco bello succeßit &c. Hoc bellum describunt Liuius lib. 38. ab urbe condita, Iustinus lib. 32. Appianus in eo libro qui Syrius inscribitur. Eutrop. cap. 1. quarti. Plin. cap. 52. de uiris illustrib. De Aetholia Plin. in principio quarti. Strabo lib. 10. Legendum autem est Cephaleniam. Victoriã Fuluij de Aetholis Quintus Ennius amicus eius insigni laude celebrauit. Liuius ubi supra scribit preces Atheniensiũ atq; Rhodiorũ pro Aetholis &c. Causa huius belli parũ ante ex Iust. sententia posita est.

BELLVM HISTRICVM. CAPVT X.

HIstri sequuntur Aetholos &c. Inter gesta huius Manlij non lego ipsum cum Histris populis geßisse bellum. Liuius libro 38. scribens quos populos Romanis subegerit, nullã de Histris mentionem facit. Plinius præterea cap. 19. 3. dicit Histros subactos non à Cn. Manlio, sed Tuditano quodam. Sex. Ruffus dicit Histros domitos, sed à quo, & quando, non meminit. Appianus dicit Histros Illyriorum nationem esse. Sed uidetur intelligendum de Histris Thraciæ populis, ab Histro uel Histria oppido dictis. In oratione enim, qua se Manlius contra legatos defendit, dicit se bis præliatum in Thracia. Lege Liuium libro 38. Et hæc quoq; inuestigandi causa dicta sint. De Histro oppido Plinius capite undecimo quarti, & Strabo libro septimo. Lege Hermolaum.

BELLVM GALLOGRAECVM. CAPVT XI.

GAllogræciam quoque &c. Hoc bellum late scribit Liuius lib. 38. ab urbe condita. Meminit Iustinus libro 32. Plinius cap. 55. de uiris illustrib. Valerius Max. cap. 1. sexti, Oros. cap. 20. quarti. Pauca Eusebius lib. temporum. De origine, moribus &c. Gallogræcorum lege Dionys. in 6. Faciunt huc quæ scribit Iustinus lib. 24. & 25. Val. cap. 2. 1. De generatione seminum mutato solo notanter Liuius longe post principium 38. Lege dictum Cyri Persarum regis apud Plutarchum in Apophtheg. lege quæ posui cap. 4. huius secundi. Fuerunt autem in hoc bello centum milia Gallogræcorum, quorum quadraginta capta uel cæsa sunt. Liuius ubi supra.

Orgiagontis regis uxor &c. Huius historiæ meminerũt Val. c. 1. 6. Plin. c. 55. de uiris ill. Liuius aũt dicit non euasisse custodiam, sed à Centurione eductam ad duos necessarios mulieris qui ad flumen eam spectabant: à quibus duobus Centurio aurũ pensans interfectus est. Idem sentit Valerius. Hæc ex Galatia oriunda fuit, Chiomara nomine. autor Plutarchus.

Negatus est uictori triumphus &c. Discrepat à Liuio Florus, asserente Cn. Manlium de Gallogræcis triumphasse. Maior pars, inquit, decem legatorum, qui cum Manlio fuerant, & ante alios L. Furius Purpurio, & L. Aemylius Paulus contradixerunt, ne Manlio triumphus decerneretur: post tamen longam disceptationem dicit Manlio triumphum decretum, cognatorum ac amicorum Manlij opibus. De his populis Liuius, Iustinus, ubi supra. Plinius cap. 32. quinti. Strabo libro 12. uocant Tolisthobogos, ubi plura de eorum origine.

BELLVM

BELLVM MACEDONICVM SECVNDVM. CAP. XII.

QVum aliæ aliæq; gentes &c. Bellum Macedonicum secundum scribunt paßim omnes. Liuius lib. 40. & 5. sequentibus. Iustinus lib. 33. Plutarchus in Paulo Aemylio. Plin. cap. 36. de uiris illustribus. Appianus in eo libro, quem Mithridaticum inscripsit. Eusebius libro temporum. Val. cap. 1. & 2. 2. c. 3. 4. c. 1. 5. Eutrop. c. 1. 4. Oros. c. 20. 4. Meminit Plin. c. 3. 33. & Gel. c. 3. 7.

Recordatio suæ nobilitatis &c. De uetustate & nobilitate Maced. Solinus c. 14. Iustinus li. 7. Euse. lib. temporũ. Dionys. lib. 1. Gentes quæ in hoc bello Persæ adhæserunt, lege apud Oros. ubi supra.

Celebri religione &c. Samothraciæ multa uestigia in sacris ad nostram usque ætatem perdurãt. Diodorus lib. 6. & parũ infra multa ad hoc. In Samo, quæ postea Samothracia est dicta, Iuno nata est. Autor Seruius 1. Aeneid. In ea præterea adoleuit, & Ioui fratri nupta est: idcirco nobilißimum & antiquißimum templum eius est Sami, simulachrum in habitu nubentis figuratum, & sacra eius anniuersaria nuptiarum ritu celebrantur. Autor Varro. Quod Lactantius cap. 17. primi, & Augustinus cap. 7. sexti Ciuitatis retulerunt.

Vt fortunam cui tantum liceret reuererentur &c. Fortunam quidam deam quandam esse opinati sunt, res humanas ueris casibus illudentem. Secundum quorum sententiam est illud Ausonij, Fortuna nunquam sistit in eodem statu, Semper mouetur, uariat, & mutat uices. Et summa in altum uertit, ac uersa erigit. Quem errorem reprobat Lactant. cap. 28. & 29. 3. diuinarum institutionum. Multa Augustinus cap. 16. 4. Ciuitatis. Lege quæ scribit Plinius cap. 7. secundi. Triumphi formam ultra ea quæ dixi cap. 18. primi huius lege apud Appianũ inter principiũ & mediũ libri eius, q Libycus inscribitur.

Duo iuuenes candidis equis &c. Huius dæmoniaci miraculi meminerunt Lactant. cap. 8. 2. Val. c. ultimo primi. Plutarch. in Paulo Aemylio. Lege quæ notaui cap. 11. primi huius.

BELLVM ILLYRICVM. CAP. XIII.

MAcedonici belli contagio traxit Illyricos &c. Bellum hoc & eius causam describit Appianus in eo libro qui Illyrius inscribitur. Item Plutarch. in Paulo Æmylio. Meminit Florus 45. & 44. Abbreu. Eutrop cap. 1. 4. Val. Max. cap. 3. 3. Aduertendum Genthium Illyricorum regem, cõtra quem hoc bellum gestum est, Gentianam herbam inuenisse, & ex suo nomine Gentianam dixit. Autor Plinius capite septimo uigesimi quinti.

Loscordam caput gentis &c. Non lego apud aliquem geographum Loscordam Illyrici ciuitatẽ. Ideo uidetur legendum Scordonem, ex septimo Strabonis. Scardo, inquit, oppidum Liburnicum. Plin. cap. 21. tertij. Conuentum Scardonitarum petunt Iapyges. Et Liburnorũ ciuitates XIIII. Legendum etiam Anitio, non Antio, ex Eutropio, Appiano, cæteris.

BELLVM MACEDONICVM TERTIVM. CAP. XIIII.

QVodam fato &c. De hoc bello scribunt Florus 50. Abbre. Val. cap. 5. 7. Plinius minor cap. 61. Eutrop. cap. 3. 4. Eusebius lib. temporum. Dictus autem Pseudophilippus, quoniam eßet ex concubina natus, se filium Philippi regis asseuerabat: uel ut Liuius, Persei. ψεύδω enim Græce fallo significat. Eutrop. ca. 3. 4. nominat prætorem non Iuuentium, sed Publium Panetium.

BELLVM PVNICVM TERTIVM. CAPVT XV.

TErtium cum Aphrica bellum &c. Bellum Punicum tertium scribunt ferè omnes. Florus 48. & 49. Abbre. Appianus in Libyco. August. cap. 21. & circa 3. Ciuitatis. Plutarchus in uita Catonis Censorij. Eutrop. cap. 3. 4. Orosius cap. 22. & 23. 4. Plin. cap. 58. de uiris illustrib. Originem, situm &c. Carth. habet. Iust. lib. 18. & 19. Nõ præteribo quod de delenda Carthagine Plin. c. 18. 15. nat. hist. retulit. Cato, inquit, perniciali odio Carthaginis flagrans, nepotumq; securitatis anxius, quum clamaret in omni senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in curiam præcocem ex ea pro uincia ficum, ostendensq; patribus: Interrogo uos, inquit, quando hoc pomum demptum putatis ex arbore? Quum inter omnes recens esse constaret: Atqui tertium, inquit, ante diẽ scitote decerptum Carthagine. Tam prope à muris habemus hostem. Statimq; sumptum est Punicum tertiũ bellum, quo Carthago deleta est. Lege cætera quæ sequuntur. Idem scribit Plutarchus in Catone. & Augustinus capite trigesimo primi Ciuitatis. Inceptum est autem hoc bellum altero & sexcentesimo anno ab urbe condita. Liuius libro quadragesimo nono.

Sed huius causa belli, quod contra fœderis legem &c. Post finem secundi belli Punici Carthaginensibus conditionibus pax à Ro. data est. Si naues, inquit Scipio, longas decem duntaxat exceptis, Romanis tradideritis: Si elephantos, quos habetis, & cætera prius per uos sublata restitueritis, uel eorum precium me iudice, si qua incerta erunt, persoluetis. Captiuos præterea omnes ac transfugas, & quoscunq; ex Italia eduxit Hannibal, tradideritis: et hæc intra tricesimam diem, ex quo pacem susceperitis, à uobis fieri poscimus. Intra sexagesimam uero Magonem Liguria excedere: præsidiaq; uestra ex urbibus educere, quæ extra Phœnicum fossam sitæ sunt: Obsides uniuersos reddere. Quotannis etiam talenta Euboica ducenta in annos quinquaginta Romanis pendere. Neq; Celtas aut Ligures stipendio cõducere ulterius. Neq; Masinißæ, alijs ue Ro. socijs inferre bellum, aut Carthaginensium quempiam ad id mittere. Hæc & plura Appianus in Libyco. Bellum inter Carthaginenses & Masinißam, propter quod tertium Punicum bellum ortum est, habetur ab Appiano & Liuio ubi supra.

Igitur Manlio Censorinoq; consulibus &c. De nominibus horũ consulum non omnes conueniũt. Eutropius habet, L. Mallio Censorino, M. Mallio consulibus. Orosius, L. Censorino, M. Manlio consulibus. Liuius 49. L. Martio, M. Manlio consulibus.

In tormentorũ uincula matronæ crines suos contulerunt. Carthaginensium duces instructuri classem, quia sparto deficiebant crinibus tonsarum mulierum ad funes efficiendos usi sunt. Idem Maßylienses & Rhodij fecerunt. Frontinus capite septimo primi.

Hunc Paulo Macedonico procreatũ &c. Paulus Aemylius ex quatuor filijs formæ insignis, egregiæ indolis duos iure adoptionis in Corneliam Fabiamq; gentem translatos sibi ipse denegauit, duos ei fortuna abstulit &c. Val. c. 10. 5. Lege Plutarchũ. In fœdum errorẽ Appianus prolapsus est, qui hunc Scipionem Aemylianum eum fuiße opinatus est, qui ab Antiocho puer captus fuit, & P. Scipioni patri restitutus. Antiochi, inquit, legatio priuatim P. Scipioni ab Antiocho pecunias & oblationes afferebat. Filij præterea libertatem, quem ex Demetriade in Chalcidem adnauigantem, Antiochus in Hellada ceperat, pollicebatur. Erat is puer Scipio, qui deinde Carthaginem cepit & euertit, & secundus à Scipione Africanus cognominatus est Pauli filius, qui Macedoniam Perseo eripuit, Scipionis genere ex filia nepos, adoptione filius. Sed huius oppositum Latini omnes aßerunt. Lege Val. c. 5. 3.

Concusserat auus &c. P. Scipio Scipionis Aemyliani auus fuit genere, licet adoptione pater, ut uerba Appiani nunc adscripta patefaciunt. Plutarchus aliter. Vxor, inquit, Paulo Aemylio fuit Papiria, Mnasonis uiri consularis filia, quam post longum coniugij tempus repudiauit, licet pulcherrimam sobolem ex ea suscepisset. Hæc enim gloriosißimum Scipionem, & maximũ pepererat. Sententia Plutarchi uidetur uerior. Constat enim, Aphricano superiori Aemyliam fuiße uxorem L. Pauli, qui consul pro rep. ad Cannas occubuit. Ex ea genuit filias duas, quarum maiorem natu P. Cornelio Nasicæ, minorem seu in uita, seu post mortem patris, certe Graccho nuptam constat. Aliorum opinio est, quam & Florus sequitur, Scipionem minorem, à filio P. Scipionis adoptatum fuiße. Hanc secundam sententiam sequitur Cicero & in Catone maiore, & 6. de rep. li. Quàm fuit imbecillis, inquit, P. Aphricani filius is, qui te adoptauit? In 6. cap. de rep. lib. pater Aemylius Scipionẽ filium hortatur, ut sicut Aphricanus auus, colat iustitiam & pietatem. Primam opinionem sequitur Liuius lib. 49. Scipio Aemylianus, inquit, L. Pauli filius, Aphricani nepos, & adoptiuus filius &c. Res non bene nota fecit ut præter institutum plura uerba de hoc facerem.

Quanto fortius fœmina &c. Hanc historiam ut alios sileam lege apud Val. Max. tit. 2. 3. cap. 36. Appianus circa finem Libyci recitat huius mulieris ad Scipionem & Hasdrubalem uerba. Deleta autẽ Carthago est septingentesimo anno quàm erat condita. Liuius lib. 51. Solinus cap. 40. dicit anno 737. Eusebius anno 668. uel anno 748. Condita uero fuit 72. annis antequam Roma. Iustinus lib. 19. Carthaginis excidium lege apud Appianum. Nescire se dicebat Quintus Metellus, illa uictoria, qua Carthago deleta est, boni ne plus, an mali reip. attulisset. Valerius cap. 2. septimi. Faciunt ad hoc quæ scribit Cicero primo Officiorum tit. 12. Plin. cap. 9. libri septimi.

BELLVM ACHAICVM. CAP. XVI.

Quasi seculum illud &c. Hoc bellum scribunt Florus 51. & 52. abbreu. Iustinus lib. 34. Val. c. 5. 7. Plin. c. 60. de uiris illust. Eutr. c. 3. 4. Oros. c. 2. 5. Cic. in oratione pro lege Manilia. & 1.

Offic. Plin. c. 12. 35. Capta autē Corinthus est Olymp. 156. anno 3. urbis Romæ anno 608. Plin. c. 2. 34.

Quid signorum &c. De ære Corinthio, cuius tria fuerunt genera, candidum argento nitore quàm proxime accedens, in quo illa mixtura præualuit. Alterum, in quo auri fulua natura. Tertium, in quo æqualis omnium temporum fuit. Hæc & plura Plinius cap. 2. & 7. 34. nat. hist. Notum prouerbiū de Corintho, Non cuiuis homini cōtingit adire Corinthū. Horatius epistola 17. 1. Gel. c. 8. 1. Signat enim, nō omniū esse aggredi magna. Nota sunt quæ de Corintho scribunt Plin. Strabo, Ouidius, cæteri.

RES IN HISPANIA GESTAE. CAP. XVII.

VT Carthaginem Corinthos &c. Bella quæ post deletam Corinthum orta sunt, lege apud Florum 51. & 52. abbreu. Iust. lib. 34. & inde Eutrop. c. 3. 4. Oros. c. 3. 5. Cæteri locis suis citabuntur. Hispaniæ situs, laus &c. habetur ab omnibus. Lege Strabonem in 3. Plin. 3. nat. hist. Iust. lib. ultimo. Solinum cap. 36. Plura Syl. lib. 3. Claudianus de laude Serenæ, Quid dignum memorare tuis Hispania terris? &c. Auienus ibi, Hic Hispanus ager &c. Et parum infra locum deprauatum sic castigauimus, Gens agitat rupis uestigia Pyrenææ.

Prima per Pyrenæum iugum &c. Gesta duorum Scipionum, qui primi per Pyrenæum iugum signa Romana intulerunt, ex parte tacta sunt cap. 6. huius secundi.

Vltor patris & patrui Scipio &c. Pro his quæ hic de Scipione superiore narrantur lege quæ cap. 6. huius secundi sunt annotata, quibus adde quæ scribit Plutarchus in Apophthegmatis.

Cato ille Censorinus &c. Gesta huius Catonis contra Celtiberos scribit Plutarchus in uita eius, & in Apoph. Val. c. 3. 4. Plin. c. 47. de uiris ill. Frontinus c. 1. 1. & c. 7. 4. Multa Cicero in Catone maiore. Plin. c. 13. 14. Cato, inquit, quum in Hispaniam nauigaret, unde cum triumpho rediijt, non aliud inquit uinum bibi, quàm remiges. Idem Front. c. 3. 4. Lege quæ scribit Gellius cap. 18. 13. Quod hic dicitur de Graccho patre habetur 57. Plin. de uiris illustribus. De isto Graccho Valerius cap. 6. quarti, Plinius cap. 13. septimi, Cicero de diuinatione. Metelli gesta in Hispania lege apud Florum 53. abbreu. Val. c. 2. 2. c. 4. 7. & Plin. c. 61. de uiris illustrib. Front. c. 1. 1. Luculli gesta in Hispania Val. c. 2. 5. Flor. lib. 48. abbreu. Plin. c. 58. de uiris illust. Ab his eisdem habetur quod hic de Scipione Aemyliano dicitur. Quod de Decio Bruto dicit Florus, sumpta sunt ex 55. & 56. Liuij. Meminit Valerius cap. 15. octaui. si tamen non est alius &c.

Flumen obliuionis &c. Idem habetur 55. abbreu. Liuianarum. Intelligit enim Lethen fluuiū, quē circa Syrtes delabitur. λήθη enim græce obliuionem significat. De quo flumine Lucanus in nono. Quam iuxta Lethes tacitus perlabitur amnis, Infernis, ut fama, trahens obliuia uenis.

Cæterū Lusitanos Viriatus erexit &c. Historiæ huius autores sunt Florus 52. & 54. abbreuiat. Cicero 2. Offic. Val. c. 4. 6. 9. Plin. c. 71. de uiris illust. Oros. c. 3. 5. Eutrop. c. 3. 4. Syl. lib. 3. ibi, Hos Viriatus agit. Victi autem sunt à Viriato M. Vetilius prætor, C. Plancius prætor, Cl. Vnimanus. Autores qui supra. De Claudio Vnimano Liuius nullam facit mentionē, sed Plinius, Orosius, Eutropius idē cum Floro dicunt. Quinti Fabij successorem fere omnes Seruilium Cepionem nominant. Corrupte in Eutropio legitur, à Scipione consule, pro Cepione.

BELLVM NVMANTINVM. CAP. XVIII.

NVmantia quantum Carth. Capuæ &c. Bellum Numantinum scribunt Florus 55. & quatuor sequentibus abbreu. Liuianarum. Plin. c. 58. & 59. de uiris illustrib. Val. cap. 2. 2. c. 2. 3. c. 6. 7. Augus. cap. 21. tertij Ciuitatis. Eutrop. cap. 3. quarti. Oros. cap. 6. quinti.

Per annos 14. &c. Strabo lib. 3. dicit Numantinum bellum uicesimum perdurasse ad annum. Sedigenses. Legendum est, Segedenses, à Segeda oppido Numantiæ uicino, ex Plinio cap. 1. 3. & Strabone libro 3. Quatuor milibus Celtiberorum. XL. M. exer. Liuius aliter. Triginta, inquit, milia Romanorum à Numantinorum milibus quatuor uicta erant. Cum Floro concordant Eutropius & Orosius. Prodigia tria Mancino uisa præter supradictos lege apud Valerium libro primo, cap. de prodigijs. Lege Ciceronem Officiorum tertio.

Seruilibus operibus attritis &c. Quæ de hac re scribit Florus lege apud Frontinū c. 1. 4. & Val. in principio c. 2. lib. 2. Idem fecit Q. Metellus in Aphrica Iugurthino bello. Front. & Valer. ubi supra. Megara duce. Legi in quibusdam, Theogene. Vide Valerium cap. 2. tertij.

ANACEPHALAEOSIS. CAP. XIX.

HActenus P.R. &c. Quæ hoc 19. capite continentur, patent ex antehabitis, & post habendis capitibus. Vnde Romam uitia irrepserunt, docet Augustinus c.21.2. Ciu. & c.21.3. sic ad idem. Tunc primum, inquit, per Cn. Manlium proconsulem, de Gallogræcis triumphantem, Asiatica luxuria Romam omni hoste peior irrepsit. Tunc enim primum lecti ærati, & preciosa stragula uisa perhibentur: tunc inductæ in conuiuia psaltriæ, & alia licentiosa nequitia. Plura Liuius lib.9.4. Decadis. Plin. c.11.33. Notanter Iustinus in fine 36. Lege Iuuen. sat.3. ibi, Quæ nunc diuitibus &c. & sat.6. Prima peregrinos obscœna pecunia mores Intulit, & turpi fregerunt secula luxu Diuitiæ molles &c. De aurea ætate, & alijs, & cur sic dicta, notaui multa primo in Ruffinum, in annotationibus Claudiani.

BELLVM ASIATICVM. CAP. XX.

VIcta ad occasum Hispania &c. Quæ hic de Attali regis testamento dicuntur, habentur à Plinio c.11.33. Val. c.2.5. Floro 59. abbreu. Iust. lib.36. Strabone lib.14. Eusebio lib. temp. Augusti c.11.13. Ciuit. Appia. in Mithrid. Eutrop. c.3.4. Oros. c.7.5. Aduertendum, Asiam bello captam, Attalo regi muneris loco possidendam populum Romanum tribuisse &c. Lege Val.8.4. Attalus enim cōtra Philippum Macedoniæ regem, & contra Antiochum pro Romanis pugnauerat. Acron ode 18.2. Carminum uult ex Horatij sententia, Romanos non iure factos Attali hæredes.

Aristonicus regij sanguinis. Erat ex Eumene Aristonicus, non iusto matrimonio, sed ex pellice Ephesia Citharistæ cuiusdam filia genitus, qui post mortē Attali uelut paternum regnū inuasit Asiā, & cætera. Autor Iustin. ubi supra. De Mindo, Samo, Colophone urbibus Strabo ubi supra. Pli. c.28.5.

Crassi quoq; prætoris &c. Hanc historiam late habes à Val. Max. tit.2.3. c.13. Strabo ubi supra dicit hunc Crassum non captum, sed in prælio fortiter pugnando occubuisse.

ANNOTATIONES

IO. CAMERTIS IN L. FLORI LIB. III.

CAPVT PRIMVM.

HAEC ad orientem &c. De bello contra Iugurtham gesto extat liber integer Sallustij. Abbreuiator Liuij lib.62. & 5. sequentibus. Plin. cap.62.67.75. de uiris illust. Plutarchus in uitis Marij & Syllæ. Val. c.2.2. c.11.6. Front. c.8.1. c.1.2. Eutrop. c.3.4. Oros. c.15.5. Meminit Euseb. libro temporum.

Quum Adherbal Ro. profugisset &c. Claudianus, Si mœstas squallore comas, lacrymisq; senatum In Numidas pulsus solio commouit Adherbal.

Capite censos &c. Pro hac historia lege Val. tit.1.2. c.26. & 27. Sunt autem capite censi, qui nullo, aut perquam paruo ære censebantur. Autor Gellius c.10.16.

Mulucham urbem. Plinius in principio 5. & Sallustius in Iugurthino, dicunt Mulucham amnem esse. Sed esse potest ut sit urbis quoq; nomen, ab amne dictæ. De Bocho in annotationibus Solini.

Venalem cecinerat &c. Iugurtha postquam Roma egressus est, fertur sæpe tacitus respiciens, postremo dixisse, Vrbem uenalem, & mature perituram, si emptorem inuenerit. Salustius autor. Idem Liuius libro sexagesimo quarto.

BELLVM ALLOBROGICVM. CAP. II.

Sic ad meridiem &c. De hoc bello Florus 61. abbreu. Iustin. 37. Eutrop. cap.1.5. Orosius c.16.5. Melius Appianus in Celtico.

Impiger fluminum Rhodanus. Lucanus 1. Phar. Qua Rhodanus raptum uelocibus undis, In mare fert Ararim. Plinius cap.4. & 20.3. Strabo libro 4. Cæsar primo Commentariorum. Varro in tribus primis Europæ fluminibus Rhodanum ponit. Gellius capite septimo decimi.

Nunquam enim populus Romanus &c. De Romano populo sic Claudianus, Matris, non dominæ ritu, ciuesq; uocauit Quos domuit, nexuq; pio longinqua reuinxit.

BELLVM CYMBRICVM, TEVTONICVM AC TIGVRINVM. CAP. III.

Cymbri, Teutoni &c. De bello Cymbrico Florus 67. & 68. abbreu. Plutarchus in Mario, & c. 37. Paral. Appianus in Celtico. Val. c. 8. 5. Plin. c. 67. de uiris ill. Plin. c. 22. 7. c. 33. 16. c. 1. 17. c. 1. 36. Front. cap. 5. 1. c. 2. 2. Eutrop c. 1. 5. Oros. cap. 16. 5. Euseb. libro temporum.

Impetum barbarorum Syllanus &c. Habetur hoc à Liuio libro 65. & 67. ubi non Manilius, sed Manlius nominatur. De alpibus lege quæ posui c. 6. 2. supra. Marius Cymbrico bello profligatus in somnis præmonitus est, uictoriã consecuturum, si prius dijs uictimam filiam, Calphurniam nomine, faceret. Patriæ igitur charitati natura postposita, eo facto uictoriam cõparauit. Plutarchus cap. 37. Par.

Flagitante aquam exercitu &c. Idem scribit Frontinus capite septimo libri secundi.

Claudium campum &c. Plinius c. 67. de uiris illust. aliter nominat. Lucanus in primo uidetur sentire id factum non longe ab Arimino. Nos primi Senonum motus, Cymbrumq; furentẽ Vidimus. Claudianus dicit in eodem loco, Cymbros à Mario, & Getas à Stilicone superatos, ubi huiusmodi fuerat affixus titulus: Hic Cymbros, fortesq; Getas, Stilicone peremptos Et Mario, claris ducibus, tegit Itala tellus. Discite uesani Romã nõ temnere gentes. Scribit Festus, lingua Gallica Cymbros latrones dici.

Nebulosum nactus diem &c. Idem dicit Frontinus capite secundo secundi. Cymbricis bellis &c. Nuceriæ in luco Iunonis, ulmus postquã etiam cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restituta sponte, ita ut protinus floreret. Autor Plinius cap. 33. 16. nat. hist. Rursus Cymbrorum mos erat, ut in acie gaudio exultent, tanquam gloriose & feliciter uita excessuri: lamentantur in morbo, quasi turpiter & miserabiliter perituri. Val. ca. 1. 2. Numerus in hac pugna interfectorum uarie narratur. Eusebius dicit ducenta milia Cymbrorum cæsa, octuaginta milia capta. Liuius centum quadraginta milia cæsa, capta uero 60. milia. Orosius multo aliter: lege ipsum. Item Eusebius uocat regem Cymbrorum Teutomodum, non Teutobochum. Orosius Teutobechum.

Nam quum missa &c. Præter citatos in hoc capite lege hanc historiam apud Val. Max. cap. 1. 6. Quod de Castore & Polluce hic dicitur habet Plinius cap. 22. 7. Lege aliud mirum in hac pugna apud Liuium ubi supra. Quo astu in hoc bello Marius usus sit, docet Frontinus cap. 9 secundi.

BELLVM THRACIVM. CAP. IIII.

Post Macedonas &c. Huius belli meminerunt Florus 63. abbreu. Eutrop. c. 3. 6. notanter. Plura Sex. Ruffus de regia potestate. Meminit Euseb. lib. temp. Aliqua Appianus in eo lib. qui Illyrius inscribitur. Gestum est autem hoc bellum, si Eutropio credimus, ab urbe condita anno 635. Aduertendum hoc bellum gestum ante & Iugurthinum & Cymbricum bellum: id ex processu citatorum intelliges. Videtur ergo facta capitum transpositio.

Litare dijs sanguine humano &c. De his Thracum moribus Solinus c. 15. & 25. Plin. c. 2. 7. Pomponius Mela in principio 2. Ruffus ubi supra. Val. c. 1. 2. Sed plura in annotationibus Solini.

BELLVM MITHRIDATICVM. CAP. V.

Ponticæ gentes ad septentrionem &c. Hoc bellum scripsit Liuius à 76. ab urbe condita usq; ad lib. 102. sed temporis iniuria non extant nisi eorum argumenta, quæ L. Florus scripta reliquit. Late de hoc bello Appianus Alex. in eo libro qui Mithridaticus inscribitur. Plura Plutarchus in uitis Syllæ, L. Luculli, Cn. Pompeij: multa Plin. quatuor ultimis capitibus de uiris illust. Val. c. 6. 4. c. 7. 8. c. 2. 9. Frontinus c. 1. & 2. 2. August. c. 22. 3. Ciuit. Plin. c. 97. 2. c. 24. 7. c. 2. 25. c. 3. & 12. 33. Plura Cic. in oratione pro lege Manilia, quæ in ordine prima est. Iustinus lib. 37. & 38.

Cœptum autem est bellum hoc anno 662. ab urbe condita. Eutrop. c. 2. 5. Oros. c. 19. 5. & inde per totum. Durauit autem, teste Appiano, annis 42. Florus dicit 40. nec mirum quidem: nam 56. annis regnauit. Autor Plinius capite secundo uicesimi quinti.

Tribus bellis &c. Hæc tria bella distincte Appianus exponit. Eodem anno primũ bellum ciuile & Mithridaticum incepta sunt, quum nondum sociale bellum finitum esset. Lege Orosium ubi supra.

Quid atrocius &c. Edictũ Mithridatis huiusmodi erat, ut ad tricesimã diẽ obseruationis, omnes pariter Romanos, qui apud eos essent, & Italos, eorumq; mulieres cum pueris & liberis, qui Romani sanguinis esse censerentur, interficerent. Autor Appianus. Interfecta autem sunt hominum 150. milia, autore

autore Plutarcho in Sylla. Valerius autem cap.2.noni, dicit milia 80. ciuium Ro. August. ubi supra.

Cyzicum nobilis ciuitas &c. Quæ hic dicuntur præter alios lege Frontinũ c.1.2.& c.5.4. Cicero ubi supra. Plin.c.32.5.& c.15.36. Plura ad hanc historiam scribit Strabo lib.12.

Spargi à fugientibus &c. Idẽ Tryphon Syriæ rex fecisse dicitur, qui uictus per totũ iter fugiens pecuniã sparsit, eiq; insectandæ Antiochi equites moratus effugit. Front. c.13.2. Idem fecit Alaricus Gothorũ rex à Stilicone uictus. Lege Claudianũ de sexto consulatu Honorij. Item de bello Getico, ubi plura dictauimus, ibi, Præda &c. Sed animus malis angebatur. Legendum est, augebatur, ut grande doloris Ingeniũ est, miserisq; uenit solertia rebus. De dimicatione hac nocturna Frontinus cap.1.2.

Grande arcanum &c. Multa, inquit Hecatæus, castella oppidaq; Iudæis sunt, una uero urbs muni tißima, 50. penè stadiorũ habens circuitum: plures q̃ centum & uiginti milia homines habitãt, quæ uocatur Hierosolyma: in medio cuius ædes lapidea est quinq; iugerũ longitudinis, latitudinis cubitorum centum. Hæc & plura Euseb. 9. præp. Euang. Hanc ædem uocat Florus impiæ gentis arcanũ, quũ ipse re uera alienus à fide sit impijßimus. Iudæos enim præ cæteris Romani odio habuerunt, ut alibi notauimus. Liuius lib. 102. Gesta Pompeij compendiose habes à Plin.c.26.7.& c.2.37. Val. Max.c.16.8. Plin. c. ultimo de uiris illust. Gesta Pompeij eleganter scribit Lucanus 2. Pharf. ibi, Heu demens.

BELLVM PIRATICVM. CAP. VI.

INterim dum P.R. &c. De piratico bello multa Cicero in oratione, quam habuit de laudibus Magni Pomp. Abbreu. Liuij lib.99. Plura Plutar. in uita Pompeij. Pli.c.ultimo uirorũ ill. Val.c.16.8.

Seruilius &c. Historiam præter supradictos habent Sex. Ruffus, Val.c.5.8, Front.c.7.5. Pub. Seruilius Isaurã oppidum flumine eo quo hostes aquabantur auerso, ad deditionem siti compulit. Claudianus primo in Eutropium, Indomitos curru Seruilius egit Isauros. Eutrop. plura c.1.6.

Quædam animalia &c. Facit ad hoc quod scribit Plinius c.57.lib.9. Item in lib. qui de admirandis in natura inscribitur, & Aristoteli falso adscribitur: est enim nõ Aristotelis, sed Theophrasti opus, ut ex citatione Plinij deprehendimus. Plinius enim c.57.9. citat Theophrastum in his quæ habentur c. 61. & sequentibus in eo libro. De legatis ad diuersa maria à Pompeio mißis, scribit Plutarchus ubi supra. Item dicit Piraticum bellum quadragesimo die completũ. Plin. autẽ cap.25.& 26.7. dicit captas esse naues piratarum 846. Qualem duxit de his Pompeius triumphum. Plin.c.2.37. Eutrop.c.4.6.

BELLVM CRETICVM. CAP. VII.

CReticum bellum &c. De hoc bello Florus 99. Abbreu. Liu. Eusebius lib. temporũ. Eutrop.c.4.6. Cretenses in obsidione Metelli ad ultimã usq; penuriã compulsi, sua iumentorũq; suorũ urina sitim torserunt, iustius dixerim, quàm sustentauerunt: quia dum uinci timent, id paßi sunt, quod eos nec uictor quidem pati coegisset. Val.c.6.7. Lege quæ de Creta insula scribunt Solinus c.16. Plin. c. 12. 4. Diodorus lib.6. Plura Strabo lib.10. Virg.3. Aeneid. ibi, Creta Iouis magni &c. Auienus, Nutrix hinc Creta tonantis Multa latus glebæq; ferax &c. Sic enim legendum est, non glebam.

BELLVM BALEARICVM. CAP. VIII.

QVatenus Metelli &c. De hoc bello Florus lib.60. abbreu. De his insulis lege quæ scribunt Plinius cap.5.3. et Strabo li.3. à Græcis enim Baleares dicuntur à fundarũ iactu, quibus homines ipsi maxime utebantur. autor Dionysius poëta. Alio nomine Gymnesiæ dicuntur, quoniam earũ incolæ nudi sunt: γυμνὸς enim nudus appellatur. Plura scribit Diodorus Siculus tit.6.6. Fundam præterea, qua maxime utuntur harum insularũ incolæ, inuenerunt Phœnices. Autor Plin.c.56.7. nat. hist. Virg. primo Georg. Stupea &c. Lucanus in 3. Stantem sublimi Tyrrhenum culmine proræ &c.

EXPEDITIO IN CYPRON. CAP. IX.

ADerat fatum insularum &c. Quod hoc capite cõtinetur, habetur abunde à Plutar. in uita Catonis iunioris. Meminit Abbreuiator Liuij lib.104. Veneri sacra idcirco dicitur, quoniã mos erat Cyprijs, uirgines ante nuptias statutis diebus dotalem pecuniã quæsituras in quæstum ad littus maris mittere, pro reliqua pudititia libamenta Veneri soluturas. Iustinus lib.18. Lege quæ scribit Val.c.1. 9. Plin. cap.31.3.5. Nota sunt quæ scribit Strabo in fine decimi quarti.

Quæ res latius ærarium populi Romani &c. Iam Cyprus deuicta Asia, pondo 34. milia inuenerat, præter uasa aurea, aurumq; factum, & in eo folia ac platanum uitemq;. Qua uictoria argenti

quingenta milia talentorũ reportauit &c. Plin. c. 3. 33. Lucanus in 3. loquens de copioso auro Romanĩ ærarij, sic inquit: Quod Cato longinqua uexit super æquora Cypro. Val. cap. 16. 8.

BELLVM GALLICVM. CAP. X.

ASia Pomp. manibus &c. Quæ hoc capite continentur scribit Florus 103. & sequentib. Abbre. Plutar. in Cæsare. Suet. lib. 1. tit. 22. & sequentib. Appian. in Celtico. Lucan. in 1. & latius Cæsar ipse in septem libris suorum Comment. de bello Gallico. De populis, de quibus in hoc capite fit mentio, plura Lucanus 1. Phar. ibi, Deseruere cauo &c. Item Cæsar in Comment. gesta Cæsaris compendiose more suo. Lege ex c. 25. 7. Plin. Non obscura sunt quæ Eutropius, Orosius, cæteri scribunt.

Toto orbe diuisa Britannia &c. Finis erat orbis ora Gallici littoris, nisi Britannia insula qualibet amplitudine nomen penè alterius orbis mereretur. Solinus c. 35. Virgil. in Buc. Et penitus toto diuisos orbe Britannos. Claudianus de laudibus Stiliconis, Vincendos alio quæsiuit orbe Britannos. Bellum cũ Heluetijs scribit Cæsar 1. suorũ Comment. Fuerunt enim Heluetiorũ fusorũ à Cæsare milia 368.

Sequens longeq; cruentior pugna Belgarum &c. Ex uerbis Flori hic positis, item 2. Commentariorũ Cæsaris. Rursus ex Val. Max. item cæteris deprehendimus hunc locum insigniter deprauatum, ut non Belgarum legendum sit, sed Neruiorum: ait enim hic Florus: In hac pugna multa Ro. insignia fuisse, tum illud egregium ipsius ducis, quod nutante in fuga exercitu &c. Hoc autem non in pugna cum Belgis, sed cum Neruijs accidisse, in 2. Comment. scribit Cæsar. Val. c. 2. 3. Iulius Cæsar, inquit, quũ innumerabili multitudine, et feroci impetu Neruiorum inclinari aciem suam uideret, timidius pugnanti militi scutum detraxit, atq; tectus acerrime præliari cœpit: quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentemq; belli fortunam diuino animi ardore restituit. Accedit ad hoc quoniam Belgæ facili pugna à Cæsare superati sunt. Lege Cæsarem in 2. Comment. & Liuium libro 104. Plutar. in Cæsare. Bellum Cæsaris cum Venetis describit ipse tertio suorum Commentariorum libro. Interitus Cottæ & Sabini habetur quinto Commentariorum Cæsaris.

Hedui de incursionibus &c. Bello Heluetiorum confecto, totius ferè Galliæ legati, principes ciuitatum, ad Cæsarem congratulatum conuenerant, petierunt uti sibi consilium totius Galliæ die certa indicerent, idq; Cæsaris uoluntate facere liceret: sese habere quasdam res, quas è communi consensu ab eo petere uellent. Ea re permissa, diẽ consilio statuerunt, & iureiurando, ne quis enunciaret, nisi quibus communi consilio mandatum esset, inter se sanxerunt. Eo consilio dimisso, ijdem principes ciuitatum qui ante fuerant, ad Cæsarem reuertuntur, petieruntq; uti sibi secretò & occultò de sua, omniumq; salute cum eo agere liceret. Ea re impetrata, sese omnes flectentes Cæsari ad pedes proiecerunt. Locutus est pro his Diuitiacus Heduus, qui de incursionibus Germanorũ aspere conquestus est, longa querimoniarũ serie. Lege apud Cæsarem 1. Comment. Et hunc quoq; locũ noster Cuspinianus restituit. Ariouisti superbam responsionem lege apud eundem Cæsarem ubi supra.

Qui calor &c. Quod hic dicitur, lege latius circa finem primi Comment. Cæsaris. Aduertendum q quum Cæsar in Gallia comperisset Ariouisto Germanorum regi institutũ, & talem legem esse militibus non pugnandi decrescente luna, tum potissimũ acie commissa, impeditos religione hostes uicit. Front. c. 1. 2. Cæsar dicit apud Germanos eam fuisse consuetudinem, ut matresfamilias eorum sortibus & uaticinationibus declarent, utrũ prælium cõmitti ex usu esset, nec ne. Eas ita dicere, nõ esse fas Gernos superare, si ante nouam lunam prælio contendissent.

Centenari &c. Hos populos Appianus in Celtico uidetur appellare Tancheros, Cæsar Tenchateros, de quibus neq; apud Plinium, neq; apud Strabonem reperio fieri mentionem, nisi forte hi sint quos Tennanios Strabo nominat, uel Ceretos, qui Rheni lacum magnum, inquit, propius attingunt. C. Cæsaris in Britanniam transitus docent qui supra, potissime 5. Cõment. lib. Meminit Val. Flaccus 1. Argon. De Calydonia sylua Britanniæ Plin. c. 16. 4. Est etiã ciuitas in Aetholia. Sed quũ syluã significat producit secundã. Luc. Vnde Calydonios fallit turbata Britannos. Et Mart. Nuda Calydonio sic pectora præbuit urso. Pro ciuitate corripit secundã. Vir. in. 7. Quod scelus aut Lapithis tantũ, aut Calydone &c.

BELLVM PARTHICVM. CAP. XI.

DVm Gallos per Cæsarem &c. De hoc bello scribunt ferè omnes. Abbreuiator Liuij lib. 106. Appianus late libro qui Parthicus inscribitur, Plutarchus in M. Crassi uita. Iustinus lib. 41. & 42.

Eutropius cap.6.sexti.Orosius cap.11. sexti. Valerius libro primo,tit de prodigijs.cap.12. & cap.4. noni.Gestum est autem,si Eutropio & Orosio credimus,anno 697. uel 699.ab urbe condita.

Dum Parthico inhiat auro &c. M.Crassus negabat ullam satis magnam pecuniā esse ei,qui in rep. princeps uellet esse,cuius fructibus exercitum alere non posset,Cicero 1. Officiorum. Docet ibidem Cicero,cur expetendæ sint diuitiæ. M.Crassus,inquit cap.10.33.noster Plinius,negabat diuitem esse, nisi qui redditu annuo legionem tueri posset. In agris suis sestertiûm 20.milia possedit, Quiritium post Syllam ditissimus.Lege Val.cap.4.9.Item Cic.in fine tertij de finibus bonorum & malorum. Victus autē Crassus est sexto Idus Iunias,teste Ouidio 6.Fastorum. Scilicet interdum miscentur tristia lætis, Nec populum toto pectore festa iuuant. Crassus ad Euphraten aquilas,natumq́; suosq́; Perdidit, & leto est ultimus ipse datus. Parthe quid exultas? dixit dea: regna remittes, Quiq́; necem Crassi uindicet ultor erit. Seleucia urbs nobilissima est,cuius amplitudo circuitu 70.stadijs.In hanc Orodes Romanos Crassiana clade captos deduxit. Autores Plinius cap.16.6.Solinus cap.61.

Caput eius recisum &c. Thomyris Scytharum regina compositis in montibus insidijs,ducenta milia Persarum cum ipso rege Cyro trucidauit.In qua uictoria etiam illud memorabile fuit,quod neque nuncius tantæ cladis quidem superfuit. Caput Cyri amputatum in utrem humano sanguine repletum reijci regina iubet,cum hac exprobratione crudelitatis: Satia te sanguine,inquit, quem sitisti, cuiusq́; insatiabilis semper fuisti. autor Iust.lib.1. Sed heu quot reperiuntur Crassi hodie, Qui quum desertis cessent sacraria lucis, Aurum omnes uicta iam pietate colunt. Auro pulsa fides,auro uenalia iura, Aurum lex sequitur,mox sine lege pudor. Torrida sacrilegum testantur limina Brennū, Dum petit intonsi Pythia regna dei. At mons laurigero concussus uertice,duras Gallica Parnasi sparsit in arma niues. Et(scelus)accepto Thracis Polymnestoris auro,Nutris in hospitio non Polydore pio. Tu quoq; ut auratos gereres Eriphyla lacertos, Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.

ANACEPHALAEOSIS. CAP. XII.

HÆc est illa tertia ætas populi Romani &c. Peruerterat Florus antea historiarum & temporum ordinem,cuius facti causa c. 19.secundi, et in hac cephalæosi rationem assignat, ut scilicet hos populi Romani omneis motus domesticos separatos ab externis iustisq́; bellis ex ordine prosequatur. Continet autem hoc caput compendiose materiam 17.capitum immediate præcedentium,& 13.immediate sequentiū.Faciunt pro his quæ hic scribuntnr citata capite 20.secundi supra. Plura ex his quæ hoc capite continentur, lege apud diuum Augustinum cap.26.tertij Ciuitatis.

Dumq́; Pœnorum hostium imminens metus &c. Dicit mala sequentia ex ocio accidisse Romanis. Appium Claudium crebro dicere solitum accepimus, negocium populo Romano melius quā ociū committi: non quod ignoraret,quàm iucundus tranquillitatis status esset,sed quod animaduerteret,præpotentia imperia agitatione rerum ad uirtutē capessendam excitari,nimia quiete in desidiam resolui. Et subdit: Sanè negocium,nomine horridum,ciuitatis nostræ mores in suo statu continuit: blandæ appellationis quies,plurimis uitijs respersit. Valerius primo septimi. Extāt de ocio Ennij uersus aurei. Ocio, inquit, qui nescit uti, plus negocij habet,quàm quum est negocium in negocio, &c. Lege Gellium capite decimo decimi noni Noctium Atticarum.

Vt uiribus suis conficeretur &c. Suis & ipsa uiribus Roma ruit, Quam neq́; finitimi ualuerūt perdere Marsi, Minacis aut Ethrusca Porsenæ manus, Aemula nec uirtus Capuæ,nec Spartacus acer, Nouisq́; rebus infidelis Allobrox, Nec fera cœrulea domuit Germania pube, Parentibus abominatus Hannibal. Hæc & Plura Horatius in Epodo.

DE LEGIBVS GRACCHANIS. CAP. XIII.

SEditionum omnium caussam &c. De tribunitia potestate lege Fenestellam tit.25.& quos ibi citauimus.Huc faciunt quæ cap.23.primi annotata sunt.Gracchanas leges tres fuisse constat. Frumentaria,ut scilicet semis & triente frumentum plebi daretur. Agraria,ut nemini liceret ultra 50.telluris iugera possidere.Tertia,ut equester ordo bis tantū uiriū in senatu haberet, quàm senatores ipsi. Statuerat enim ut 300. senatores essent,equites 600. sic enim equestrem ordinē cum senatu consentientem corrumpere nitebatur. Autores sunt Liuius lib. 58. & 60.& Appianus 1. bel.ciuil. Agraria lex quando & à quo primum lata, docet Liu.li.2.ab urbe cond. quam tandem M. Tullius penitus sustulit.

Extant plures Cic. orationes. Quæ mala ex agraria lege sequantur docet idem Cic. 2. Officiorum.

SEDITIO TIBERII GRACCHI. CAP. XIIII.

PRimam certaminum facem &c. Seditionem Tiberij Gracchi scribunt Florus 58. abbreu. Latius Appianus 1. lib. bell. ciuilium, Plin. cap. 64. de uiris illustrib. Plura Plutar. in uita Gracchorū. Augustin. c. 24. 3. Ciuit. Val. lib. 1. de ominib. c. 2. 3. c. 7. 4. c. 2. 7. Oros. cap. 7. & 8. quinti.

Eloquentia facile princeps &c. Scriptores ueteres T. Castritius, Valerius Max. A. Gellius, T. Liuius, cæteri, C. Graccho, non Tiberio Graccho tribuunt eloquentiæ principatū. C. Gracchus, inquit 60. lib. Liuius, Tiberij frater, Trib. pleb. eloquentior quàm frater &c. Et Val. c. 10. 8. Gel. c. 13. 11. Noctium Attic. Oros. dicit, Gracchū trib. pleb. iratū nobilitati, q. inter autores Numantini fœderis notatus esset.

Aderat ingenti stipatus agmine &c. Gel. c. 15. 2. recitans uerba Sempronij Asellionis de Tiberio Graccho trib. pleb. quo in tēpore interfectus in Capitolio est. Gracchus, inquit, domo quū proficisceretur, nunq̄ minus terna aut quaterna milia hominū sequebātur, orare cœpit ut se defenderent liberosq; suos, eū quem uirilis sexus tum in eodem tempore habebat, produci iussit, populoq; cōmendauit propè flens. Eius concionem ad populum lege apud Appianum ubi supra. Triumuir creatus, ad agros diuidendos tres in primis uiri, Gracchus ipse legislator, & frater eiusdē nominis, nec nō Appius Claudius Tiberij socer, consona totius populi uoce declarantur &c. Appianus ubi supra. item Liu. lib. 58.

SEDITIO C. GRACCHI. CAP. XV.

STatim & mortis & legum &c. Quæ hic scribuntur habentur latius à Liuio lib. 60. & 61. ab urbe condita. Appianus 1. lib. bell. ciuil. Plutar. in uita Gracchorum. Oros. c. 12. 5. Val. Max. lib. 1. c. de somnijs. c. 7. 4. c. 8. 6. c. 10. 8. c. 4. 9. Distingue tu historias prudens lector, quoniam studuimus breuitati, & præcipua in citandis autoribus nostra in præsentiarū uersatur intentio. Item Gel. c. 13. 11. Meminit Plinius c. 2. 33. nat. hist. Plin. minor c. 65. de uiris illust. August. c. 24. 3. Ciuit. Lege quæ notauimus c. 11. huius tertij. Val. dicit à seruo suo interfectum fuisse. C. Gracchus, inquit, ne in potestatem inimicorū deueniret, Philocrati seruo suo ceruices incidendas præbuit: quas quum celeri ictu abscidisset, gladium cruore domini sui madentē p sua egit præcordia. Euporū alij hunc uocitatū existimāt &c. Val. c. 8. 6.

SEDITIO APVLEIANA. CAP. XVI.

NIhilominus Apuleius &c. De Apuleiana seditione scribunt Florus 69. Abbreu. Appian. 1. bel ciuil. Plutar. in Mario, Val. tit. 2. 3. c. 19. Pli. c. 67. & 73. de uiris ill. Oros. c. 17. 5.

Marius nobilitatis inimicus &c. Marium scribunt omnes infimo loco natū. Tul. autē 2. Tuscula. quæst. dicit eum fuisse rusticum hominē. De quo sic Val. c. 1. 2. C. Marius, inquit, capite censum legendo militem Ro. diuina usurpatione firmatā consuetudinē abrupit: ciuis alioquin magnificus, sed nouitatis suæ conscientia, uetustatis non sanè propitius &c.

Subrogare conatus est in eius locum C. Gracchum hominē sine trib. &c. Hanc historiam copiose recitat Val. Max. tit. 8. 3. 7. Item Plin. 73. de uiris illust. Aduertendum plurimū differre scriptores in nomine competitoris tribunatus. Plinius ubi supra uocat hunc A. Mumium, Liuius A. Numium, Orosius Anumium. Appianus Nonium. Cæterum, inquit, Nonius uir illustris in Apuleium inuectus, & Glauciā accusans, tribunatū adeptus est. Veriti igitur Apuleius & Glaucia, ne tribunus effectus in eos insurgeret, turbam quandam satellitū à concione abeunti cum tumultu immisere, et in diuersorium fugientem interficiunt &c. Quod hic de Metello dicitur, præter citatos supra hoc ipso capite, lege apud Val. tit. 8. 3. cap. 5. Quod de Mario hic Florus recitat scribit Val. cap. 2. 3. item cæteri.

DRVSIANA SEDITIO. CAP. XVII.

POstremo Liuius Drusus &c. Scribunt hoc idem Florus 70. & 71. abbreu. Val. c. 5. 9. Plin. c. 66. de uiris illust. Oros. cap. 18. 5. Appianus lib. 1. bell. ciuil. Scrib. Gel. cap. 15. 17. Liuium Drusum, qui trib. pleb. fuit, quum morbum qui comitialis dicitur pateretur, Anticyram nauigasse, & in ea insula elleborum sumpsisse, atq; ita morbo liberatum. Item inter Cepionem & hunc Drusum ex annulo in auctione uenali inimicitiæ cœpere, unde origo socialis belli, & exitia rerum. Autor Plinius capite primo trigesimi tertij naturalis historiæ. Hic Drusus Catonis Vticensis auunculus fuit, in cuius domo idem Cato educatus est. Lege Valerium capite primo tertij.

Senatus exilio Metelli, damnatione Rutilij debilitatus. Exilium Metelli Numidici scribūt autores quos

quos praecedenti capite citauimus. Lege Val.c.8.3, Plin.c.62. de uiris ill. Rutilij damnationem scribũt Val. Max. c.5.2. Liuij Abbreuiator lib.70. P. Rutilius, inquit, uir summæ innocentiæ, qui legatus C. Marij, pro concione à publicanorum iniurijs Asiam defenderat, inuisus equestri ordini, penes quem uitia erant, repetundarum damnatus in exilium missus est. Ex uerbis Liuij apparet, fata fortunasq; patrũ, ac principum uitas in equitum manu fuiße. Lege tertiam legem, quã cap.13. huius tertij annotauimus. Iudicia quæ largitiones redolere uidebantur, à senatoribus ad equestres translata sunt per C. Gracchũ tribunum plebis. Equestres autem mediam inter senatum popularesq; obtinebant dignitatẽ. autor Appianus primo bellorum ciuilium. Drusus autem legem quoq; iudicialem tulit, ut æqua parte iudicia penes senatum & equestrem ordinem essent. Liuius libro 71.

Sed apprehensum faucibus uiator non ante &c. Discordat Florus à Valerio cap.5.9. Quæ amentia, inquit, à M. quoq; Druso tribuno plebis per summam contumeliam uexata est. Parum enim habuit L. Philippum consulem, quia se interpellare concionantem ausus fuerat obtorta gula, & quidem non per uiatorem, sed per clientem suum &c.

Mors abstulit &c. Drusus, inquit Orosius, tantis malis anxius, domi suæ, incerto quidem autore, interfectus est. Idem sentit Liuius 71. Appianus autem 1. bellorum ciuilium: Itali, inquit, metuentes, ut uidebatur, ad consules in urbem deducti sunt, re quidem ut Drusum interficerent, uerbo autem ut in legem conclamarent: eoq; modo constitutam diem expectant. Id præsentiens Drusus raro in publicum progrediebatur. Verũ in deambulatorio loco parũ habente lucis, continue ius dicebat. Quũ igitur circa uesperam multitudinẽ emitteret, subito se pcussum esse conclamauit, uixq; finito clamore in terram concidit. Repertus deinde sutoris gladius femori eius infixus. Eoq; modo Drusus & ipse trib. occiditur

BELLVM QVOD ADVERSVS SOCIOS GESTVM EST. CAPVT XVIII.

Sociale bellum uocetur licet &c. Bellum sociale scribunt Florus abbreu.71. & sequẽtibus. Latius Appianus primo lib. bellorum ciuilium. Plin.c.63.75. de uiris ill. Val.c.6.8. August.c.17. & 26.3. Ciuit. Pli.c.1.33. nat. hist. Eutrop.c.1.5. Oros.c.18.5. Euseb. lib. temp. Cœptum est autem bellum sociale anno ab urbe condita 662. Solin.c.2. Plutar. in Sylla. Strabo 5. Orosius dicit anno 659. Aduertendum animalia permulta, quæ intra urbẽ fuerant exanimata fuisse, anno ante sociale bellum: quod haud scio an funestius ipsi terræ Italiæ fuerit, quàm ciuile. Autor Plin.c.85.2. nat. hist. Causam socialis belli scribunt Liuius & Appianus ubi supra. Habetur etiam ab eisdem, cur sociale dicatur.

Quum omne Latium atq; Picenum &c. Populi Italiæ, qui in hoc bello contra Romanos insurrexerunt, fuerunt Marsi, Malini, Vistini, Maruceni, & ultra hos Picentes, Ferentani, Hirpini, Pompeiani, Venusini, Iapyges, Lucani & Samnites, quæ gens prius aduersa admodum & grauis Romanis fuerat, & quicunq; alij à Lario flumine, & quicquid ad Ionium sinum pedestri maritimoq; itnere patet. Hæc & plura Appianus ubi supra. Dicit præterea horum exercitum fuiße ad centum milium numerum. Romani æqualem illis exercitum habuerunt. Docet item, qui exercitui Romano ac alteri præfuerunt. Discordat non parum à Floro Appianus in horum nominibus & numero.

Nec Hannibalis, nec Pyrrhi &c. Bellis socialibus, inquit Augustinus, Italia uehementer afflicta, et ad uastitatem miserabilem desertionemq; perducta est.

A Corphinio Ro. peteretur &c. Corphinium Pelignorum metropolis fuit, cõmunis uniuersis Italis ciuitas: eapropter translato nomine Italicam appellarunt. Eam ciuitatem Italiæ populi, qui contra Ro. coniurauerant, aduersum P. R. receptaculum propugnaculumq; constituerunt, adunatisq; complicibus imperatores creauere. Hæc & plura ad idem facientia lege apud Strabonem uersus finem lib.5. Ex hac ciuitate oriundum reor Syllium Italicum, non ex Italica Hispaniæ ciuitate, ut alibi latius ostendimus. Hoc bellum Marsicum dictum est, quoniam à Marsis rebellandi suscitatum fuerat initium. Strabo ibidem. Inter initia belli huius mulier serpentem peperit. Autor Plinius capite 3. septimi. Item hoc bellum mures arrosis Lauini clypeis argenteis portendêre. Plin.c.57. li.8. & Cic.1. & 2. Diuin. Legendum est autẽ in Plinio non Lauini, sed Lauinij, ex eodem Cic. ubi supra. In hoc quoq; bello Libertini in sacramentũ uocati sunt. Bello sociali, inquit primo Saturnaliũ Macrobius, cohortiũ duodecim ex libertinis conscriptarũ opera memorabilis uirtutis apparuit. Itẽ in bello sociali ueritus senatus, ne hostibus

omni

omni ex parte ingruentibus, urbem minus tueri poſſet, mare omne à Cumis ad urbem uſq; libertis cõmuniuit, tunc primum ad militiam ob uirorum inopiam accitis. Autor Appianus ubi ſupra.

BELLVM SERVILE. CAP. XIX

VTcunq; & ſi cum ſocijs nefas &c. Seruile bellum quod in Sicilia geſtum eſt, ſcribunt Florus 56. abbreu. Plutarchus in Craſſo. Oroſ. c. 8. 5. Eutrop. c. 3. 4. Euſeb. lib. temporũ. Auguſt. c. 26. 3. Ciuit. Val. c. 2. 2. c. 10. 6. Aduertendum hoc bellum geſtum ante bellum ſociale, ut ex proceſſu ſcriptorũ uidere licet. Eutropius prætera dicit geſtum anno 650. Seruile uero anno 662. ab urbe condita. Autor Solinus c. 2. Tempore igitur ſociale bellum poſterius eſt, ſed dignitate prius.

Primum ſeruile bellum inter initia urbis &c. Seruitia, inquit lib. 4. Liuius, urbem ut incenderent, diſtantibus locis coniurant, populoq; ad opem paßim ferendam tectis intento, ut arcem, Capitoliumq; armati occuparent. Auertit nefanda conſilia Iupiter &c.

Sicilia terra frugum ferax &c. Lucanus in 3. de Sardinia & Sicilia loquens, utraq;, inquit, frugiferis eſt inſula nobilis aruis. Nec plus Heſperiam longinquis meßibus ullæ, Nec Romana magis complerũt horrea terræ. Vbere uix glebæ ſuperat ceſſantibus auſtris, Quũ medium nubes Borea cogente ſub axẽ Effuſis magnũ Libyæ tulit imbribus annũ. Inde fingitur, Cererẽ in Sicilia fruges inueniſſe &c.

Dum Syriæ deæ &c. Ne ſim promißis longior, ac ne aliorum reperta mihi tribuam, ut nonnulli inuerecunde factitant: de dea Syria lege dialogum Luciani qui de dea Syria ſcriptus eſt, cuius ſententiam recitat copioſe Beroaldus 25. annotatione, & melius in comment. 8. de Aſino aureo Apuleij. Cui adde (ut aliquid ex noſtris inſeram) Aſſyrij deo, quẽ ſummũ maximumq; uenerãtur, ADAD nomen dederunt. Eius nominis interpretatio ſignificat, unus: hunc ergo ut potentißimũ adorant deum. Sed ſubiungunt ei deam nomine Atargatim, omnemq; poteſtatem cunctarum rerum his duobus attribuũt. Atargatis ſimulachrum ſurſum uerſum reclinantis radijs inſigne eſt, monſtrando radiorum in ſuperne miſſorum, enaſci quæcunq; terra progenerat. Hæc ex Macrobio primo Saturnalium. Hanc deam Græci Dercetin nominant. Quidam Rheam, ut docet Diodorus in 3. Strabo dicit, uocari etiam Atharam. Fabulam de ea in piſcem uerſa, narrat Ouid. 4. Metam. Quarto autem Faſt. uocat Palæſtinas deas, quoniam Palæſtina Aßyriæ, ſiue Syriæ regio eſt. Et modo tolle faces, inquit, remoue modo uerbera, clamat, Sæpe Palæſtinas iurat adeſſe deas. Sed iam ſatis ſuperq;.

Crucibusq; puniuit &c. Inter cætera ſeruorum ſupplicia crucis ſupplicium peculiare erat. Erat enim, ut ait libro quarto Lactantius, ignominioſum atq; infame. Romanum præterea ciuem cruci affigi contra omnes leges erat. Scipio ſuperior deuicta Carthagine ciues Ro. qui ex Romanis exercitibus ad Pœnos tranſierant, tanq̃ patriæ fugitiuos, crucibus affixit. Val. c. 2. 2. Carthaginenſes etiam duces ſuos, bella paruo conſilio gerentes, etiãſi proſpera fortuna conſecuta eſſet, cruci affigebãt. Quod enim bene geßerant, deorũ immortaliũ adiutorio: quod male cõmiſerant, ipſorũ culpæ imputabãt. Val. ibid.

Fuitq; de ſeruis ouatione contentus &c. Quis primus omnium ouans ingreßus urbem eſt, & qua corona ouans coronabatur, lege apud Plinium capite 29. 15.

BELLVM SPARTACVM. CAP. XX.

ENimuero ſeruilium armorum &c. De bello contra Spartacum geſto ſcribunt Florus 95. abbreu. Oroſ. c. 25. 5. Eutrop. c. 2. 6. Front. c. 5. & 7. 1. Auguſt. c. 26. 3. Ciuit. Copioſe Plutarchus in Craſſo. Appianus 1. libro bellorũ ciuilium. De Lentulo ſæpe habetur mentio apud Val. Max. c. ultimo. primi. c. 3. 5. c. 11. 6. & alibi frequenter. Spartacum bellum ſic cecinit Claudianus in bello Getico, Vilis quum Spartacus omne Per latus Italiæ ferro bacchatus & igni, Conſulibusq; palàm totiens congreſſus inertes Exuerit caſtris dominos, & ſtrage pudenda, Fuderit imbelles aquilas ſeruilibus armis. Meminit Lucanus 2. Phar. M. Craſſus de fugitiuis & Spartaco laurea coronatus inceßit, quũ antea ouantes myrtea uterentur corona. Autor Plinius cap. 29. 15.

BELLVM CIVILE MARIANVM. CAP. XXI.

HOc deerat unum &c. Bellum Marianũ ſcribunt ferè omnes. Florus lib. 77. abbreu. & ſequentibus. Plutar. in uitis Marij & Syllæ. Auguſt. c. 27. & 28. 3. Ciuit. Eutrop lib. 5. per totum. Oroſius cap. 19. 5. Plin. cap. 67. & 68. & 69. 75. de uiris illuſtrib. Copioſe Appianus primo bellorũ ciuiliũ. Valerius lib. 1. cap. de ominibus, cap. 3. & 5. ſecundi, cap. 8. & 11. ſexti. cap. 16. octaui, cap. 2. & 7. noni. Solinus

ni. Solinus capite quadragesimo. Plura Lucanus libro secundo. ibi, Atque aliquis magno.

Siquidem carcer &c. Pro hac historia lege Val.cap.5.2.& quos supra citauimus. Lucan.2.Phar. ibi, Exul limosa &c. Pro his quæ de crudelitate Marij hic dicuntur, lege præter alios Val.c.2.9.& Lucanũ in 2.ibi, Quis fuit ille dies &c.per totum. Quæ de Sylla hic dicuntur præter alios Val.c.3.2.c.8.3.c.6.7.c.2.& 7.9. Plin.c.43.7.c.6.22.Plura Lucanus 2.Pharſ.ibi, Sylla quoq; immensis.Cic.2.Offi. Augustinus c.28.3.Ciuit.Plinius cap.75.de uiris illustribus.

Ad principum cædem &c. Id eleganter canit Lucanus in 2. Nobilitas cum plebe perit, lateq; uagatur Ensis, & à nullo reuocatum est tempore ferrum. Stat cruor in templis &c. De Antonio præter alios Lucanus in 2. Aut te præsage malorum Antoni, cuius laceris pendentia canis, Ora ferens miles festæ rorantia mensæ Imposuit. De Craßis patre & filio Lucanus ubi supra, Truncos lacerauit fimbria Crassos, Sæua tribunitio maduerunt robora tabo. De Bœbio idem Lucanus, Vix te sparsum per uiscera Bœbi Innumeras intercarpentis membra coronæ Discerpsisse manus. De Scæuola Lucanus ibidem, Te quoque neglectum uiolatæ Scæuolæ dextræ &c.

Apud Sacriportum &c. Lucanus eodem 2. Iam quot apud sacri cecidere cadauera portum? &c. Late Val.cap.2.9.item cæteri qui supra. De Mario patre præter citatos lege Iuuen.sat.8.ibi, Arpinas alius &c. Idem satyra 10. Exilium & carcer, Minturnarumq; paludes &c.

BELLVM SERTORIANVM. CAPVT XXII.

Bellum Sertorianum &c. Quæ hoc 22.capite scribit Florus lege apud Appianum primo bellorum ciuilium. Abbreu.Liuij lib.90.& sequentibus.Plura Plutarchus in uita Sertorij. Val. lib.1. cap.de simulata religione. item cap.3.7.Plinius cap.63.& 77.de uiris illustrib. Eutrop. in principio 6. Hic Sertorius ceruam candidam insignis formæ per Lusitaniam ducebat, & ab ea quæ agenda aut uitanda essent, moneri se aßeuerabat, ut barbari ad omnia tanq̃ diuinitus imperata obedirent. Front. cap.11.primi.Idem cap.5.& 10.primi.cap.1.secundi.cap.7.quarti.Oros.cap.22.quinti.

Exul & profugus feralis illius tabulæ &c. Tabulæ proscriptionis Syllæ meminerunt Plinius c. 41.septimi. Valerius cap.2.9. August.cap.28.3.Ciuit.Iuuen.sat.2. In tabulam Syllæ si dicant discipuli tres. Valerius dicit numerum proscriptorum fuiße ad quatuor milia.

BELLVM CIVILE SVB LEPIDO CAP. XXIII

Marco Lepido, Quinto Catulo Consulibus &c. Florus 90.abbre.Plutar.in Pompeio. Appia 1.bellorum ciuilium. Val.c.3.2.Eutrop.in fine 5.Oros.in fine 5.Plin.cap.77.de uiris illustrib. In Lepidorum gente ait Plin.cap.12.7.tres intermisso ordine, obducto membrana oculo genitos accepimus. Idem dicit Solinus capite 5. Lepidus is, inquit Donatus, dicitur, in quo lepôris, id est uenustatis est plurimum. Hic Lepidus Catulli in consulatu collega, primus omnium limina ex Numidico marmore in domo posuit, magna reprehensione. Is fuit consul anno urbis 666. autor Plinius cap.6.lib.36. Euseb.lib.temporum dicit Olympiade 175.hostem publice iudicatum.

ANNOTATIONES

IO. CAMERTIS IN L. FLORI LIB. IIII.

BELLVM CATILINAE. CAP. I.

CATILINAM luxuria primum &c. Bellum Catilinariũ scribunt ferè omnes. Florus 102.& 103.abbreu.Item Sallustius. Appianus lib.2.bellorũ ciuiliũ.Plutarchus in uitis Syllæ, Ciceronis & Iulij Cæsaris. Val. cap.8.5.& cap.1.& 11.5. Augustin.cap.5.1. & 23.2.Ciuit.Oros.c.6.6.Extant quatuor Ciceronis inuectiuarũ in L. Catilinam libri, quibus rem totam simul, & eleganter complexus est.Meminit Eusebius libro temporũ & Plinius cap.28.7. naturalis historiæ.Iuuenalis satyra 10.Hoc cruciatu Lentulus, hac pœna caruit, ceciditq; Cethegus Integer & iacuit Catilina cadauere toto. Gestum est autem bellum hoc anno 689. ab urbe condita, autore Eutropio cap.4.sexti.Sed uidetur legendum 699.Deprauatus est numerus annorũ apud Orosium 799.pro 699.Plin.c.39.9.dicit Ciceronẽ fuisse consulem anno urbis conditæ 700, in cuius

in cuius consulatu hæc gesta sunt. Pro Cic. gestis lege quæ scribit Plin. c.30.7. Ob id factum Cicero Pater patriæ à Catone Vticensi primum appellatus est, Plin. cap.30.7. Plutarchus in uita Ciceronis. Iuu. Sat.8. Sed Roma parentē, Roma patrē patriæ Ciceronē libera dixit. Luc. in 7. Cunctorū uoces &c.

Luxuria primum, tum hinc conflata egestas rei familiaris. Plautus in principio Trinummi fabulæ facit Luxuriam Inopiæ matrem. Hinc Claudianus primo in Ruffinum: Et luxus populator opum, cui semper adhærens Infelix humili gressu comitatur egestas.

Additum est pignus coniurationis sanguis humanus &c. Hunc morem Scytharū quorundam esse cap.25. scribit Solinus. Scytharum, inquit, gentes amant prælia, interemptorum cruorem è uulneribus ipsis bibunt. Numero cædium honor crescit, quarum expertem esse apud eos probrum est. Haustu mutui sanguinis fœdus sanciunt, non suo tantum more, sed Medorum quoq; usurpata disciplina. Cætera omnia lege apud Sallustium & Appianum.

BELLVM CAESARIS ET POMPEI. CAP. II.

IAm penè toto orbe pacato &c. Bellum ciuile inter Cæsarem & Pompeiū scribunt in primis Cæsar ipse tribus libris de bello ciuili. Abbreuiator Liuij lib.109. & 70. sequentibus. Plutarchus in Cæsare & Pompeio. Appianus lib.2. bellorum ciuilium copiose. Augustinus cap.30.3. Ciuit. Plin. cap. ultimo de uiris illustrib. Eutropius & Orosius lib 6. Val. Max. lib.1. cap. de prodigijs, & cap. de ominibus. cap.5. & .6.4. cap.1.5. Gel. cap.18.15. Lucanus in decem libris Pharsaliæ. Plin. cap.25. & 26.7. Dicit idem Plin. cap.24.2. bello Pompei & Cæsaris terrificum sydus uisum, ac non leuiter expiatum. Pompeius ante ciuile bellum cum Cæsare grauiter ægrotauit, sed liberatus ad plurima mala reseruatus est. Lege Iuuenalem satyra 10. Prouida Pompeio dederat Campania febres Optandas &c.

Adeo ut non &c. Hoc bellum uocat Lucanus in primo plus quàm ciuile. Bella per Emathios plus quàm ciuilia campos, Iusq; datum sceleri &c.

Causa tantæ calamitatis &c. Has causas eleganter canit Lucanus in 1. ibi, Fert animus causas tantarum expromere rerum &c. Vnde has aßignat Lucanus causas: Fatum ipsum: nimiam Romanorum potentiam: discordem concordiam Pompeij, Craßi & Cæsaris: Craßi & Iuliæ mortem: ducum ipsorū superbiam: & tandem publica Romæ paßim uitia. Lege Cæsarem, Appianum, Suetoniū, Plutarchum. Pulchris stare diu Parcarum lege negatur. Magna repente ruunt, summa cadunt subito. Claudianus. Et Laberius: Summum ad gradum, inquit, quum claritatis ueneris, consiste ægre, ne citius quàm descendas decidas. Lucanus in primo: Summisq; negatum stare diu.

Morte Iuliæ &c. Præter supradictos scribunt hoc idem Val. c.6.4. & Lucanus in 1. Nam pignora iuncti Sanguinis, & diro ferales omine tædas Abstulit ad manus Parcarum Iulia sæua Intercepta manu. quod si tibi fata dedissent Maiores in luce moras, tu sola furentem Inde uirum poteras, atque hinc retinere parentem, Armatasq; manus excusso iungere ferro, Vt generos soceri mediæ iunxere Sabinæ. Morte tua discussa fides, bellumq; mouere Permissum ducibus, stimulos dedit æmula uirtus.

Tanquam duos tanti imperij for. non caperet &c. Lucanus in 1. Diuiditur ferro regnum, populiq; potentis, Quæ mare, quæ terras, quæ totum poßidet orbem, Non cepit fortuna duos.

Nec hic ferebat parem &c. Lucanus in 1. Nec quenquam iam ferre potest Cæsar ue priorem Pompeius ue parem. Primo Arimino signa. Lucanus in 1. ibi, Vicinusq; minax &c.

Peractum erat bellum &c. Hoc scribit Cæsar 1. Comment. belli ciuilis, & Lucanus pluribus carminibus idem canit 2. Pharsaliæ lib. ibi, At nunquam patiens &c. Qua arte tunc Pompeius euaserit manus Cæsaris, docet Front. c.5.1. Per triumphatum à se mare lacerata &c. Hoc eleganter cecinit Lucanus in fine 2. Pelagus, inquit, iam Magne tenebas, Non ea fata ferens, quæ quum super æquora tota Prædonem sequerere maris, lassata triumphis Destituit fortuna tuis.

Senatus ab urbe fugatur. Lucanus in 1. Nec solum uulgus inani Percussum terrore pauet, sed curia & ipsi Sedibus exiliere patres, inuisaq; belli Consulibus fugiens mandat decreta senatus. Tunc quæ tuta petant, & quæ metuenda relinquant Incerti &c.

Aerarium quoq; sanctum &c. Quod hic scribit Florus canit Lucanus libro 3. multis carminibus ibi, Protinus abducto patuerunt templa Metello &c. Ibidem etiam describit ingentem auri copiam, quod tunc in ærario continebatur. Lege ad hoc Plin. c.3.33. nat. hist. C. Cæsar, inquit, primo introitu urbis in ciuili

bis in ciuili bello suo ex ærario protulit laterum aureorum XXVI. milia numero, pondo CCC. Nec alijs temporibus resp. locupletior. Aliqua ad hoc annotauimus c.9.3. supra.

Siciliam & Sardiniam annonæ pignora. Lege hæc 3. Phar. Luc. ibi, Curio Sicanias transcendere iussus in urbes &c. Lege c.19. tertij huius. Cæsar 1. Comment. ciuilis belli. Quod hic de Maßylia dicitur, lege late apud Lucanum in 3. ibi, Ille ubi deseruit trepidantis mœnia Romæ &c. Item Cæsar 1. & 2. belli ciuilis lib. De Maßyliæ laudibus Val. c.1.2. Plin. c.4.3. Plura Strabo in principio quarti. Cicero ad propositum Officiorum libro secundo.

Cum legatis Cn. Pompeij Petreio, Afranio &c. Scribuntur hæc omnia à Cæsare primo Commentariorum de bello ciuili. Longo carmine hæc eadem canit Lucanus in principio quarti. Ad idem Frontinus c.1.2. Quod de Varrone & Gadibus hic dicitur, lege primo Commentariorum Cæsaris.

Circa Illyricum &c. Hanc historiam pluribus carminibus Lucanus 4. Phar. explicat, ibi, Non eadem &c. Lege Liuium lib.110. Quod de Vulteio hic dicitur, canit Lucanus lib. 4. ibi, Vulteius tacitas sensit sub gurgite fraudes &c. Idem Liuius libro 110.

Calamitas Curionis &c. Historiam hanc Curionis eleganter more suo canit Lucanus in 4. Non segnior illo Marte fuit qui tunc Libycis exarsit in aruis &c. usq; ad finem. Liuius lib.110. Appianus 2. bellorum ciuilium. Cæsar libro 2. Comment. de bello ciuili. Item cæteri omnes.

Sed iam debitum &c. Hæc omnia scribit Cæsar ipse 3. Comment. suorũ lib. Item Lucanus in toto 5. Quod hic de speculatorio nauigio dicitur, habetur late à Lucano 5. Phar. ibi, Tertia iam uigiles &c.

Extat ad trepidum tanto discrimine gub. uox ipsius &c. Vocem Cæsaris ad gubernatorem scribit Appianus 2. bellorum ciuilium: Gubernator desperans tandem clauum è manibus abijcit. Tum Cæsar sublato uelamine ad gubernatorem conuersus, & intonans alacri animo & forti: Aduersum fluctus exto, inquit. Cæsarem quippe & fortunam eius tecum uehis. Hac uoce &c. Lucanus in 5. Fisus cuncta sibi ceßisse pericula Cæsar, Sperne minas, inquit, pelagi, uentoq; furenti Trade sinum, Italiam si cœlo autore recusas, Me pete: sola tibi causa est hæc iusta timoris, Vectorẽ non noße tuum, quem numina nunquam Destituunt &c. Nauta autem ille Amyclas dictus est, autore eodem Lucano. Huius historiæ meminit Val. c.8.9. Plura Plutar. in Cæsare. De Dyrrhachio quæ scribit Florus hic, lege præter citatos Luc. in principio 6. De Scæua præter alios Lucanus in 6. ibi, Scæua uiro nomen &c. Val. c.2.3.

Nec diutius profuit duci &c. Lege hæc ex 7. Phar. Lucani, Vicerat astra iubar, quum mixto murmure turba Castrorum fremuit &c. Ibidem recitat orationem M. Tullij, qui nomine omnium Pomp. ad pugnam ineundam concitat. Hoc pro tot meritis &c. Sequitur tandem Pomp. allocutio, qua suadet non esse cum Cæsare pugnandum. Si placet hoc, inquit &c.

Generis humani fata commissa sunt &c. Scribit Cæsar 3. Comment. ex Pompeiano exercitu circiter milia quindecim cecidisse, in deditionem uenisse amplius milia 14. Ex Cæsaris autem exercitu non amplius ducenti milites desiderati sunt. Sed Centuriones fortes uiros circiter 30. amisit. Appianus lib. 2. uarias opiniones recitat. Idem scribit Plutar. Scribit Plinius c.25.7. Cæsarem bellorum ciuilium stragem non prodidisse. Prodigia ante pugnam uisa præter alios canit Lucanus in principio 7. ibi, Nec tamen abstinuit &c. Idem scribunt Val. lib.1. c. de prodigijs, & Appianus ubi supra. De uictimarũ fuga Luc. in 7. Admotus superis discussa fugit ab ara Taurus, & Emathios præceps se iecit in agros, Nullaq; funestis inuenta est uictima sacris. Crastini istius meminerunt omnes. Lucanus in 7. imprecatur ei æternam sceleris conscientiam: Dij tibi non mortem, quæ cunctis pœna paratur, Sed sensum post fata tuæ dent Crastine morti, Cuius torta manu cõmisit lancea bellum, Primaq; Thessaliam Romano sanguine tinxit. Lege Cæsarem 3. Comment. Deprauatus locus est apud Appianum, Crasinus pro Crastinus. Fugam Pompeij per Thessalica Tempe scribit Lucanus in principio octaui. Latius Appianus et Plutarchus in Pompeio.

In deserto Ciliciæ &c. Appianus, Ad orientem, inquit, Pompeius conuersus, Parthos, ueluti ab illis opem petiturus, nulli patefacto interim consilio, adire statuit, quod pene quum in Ciliciam uenisset, amicis retulit. At illi à Parthis abstinendũ suadebant &c. Extat elegantißima in 8. Lucani oratio, quã hanc Pompeij agitationem explicat eleganter. Cilicum per littora tutus Parua puppe fugit, sequitur pars magna senatus, Ad profugum collecta ducem, paruisq; Celendris, Quo portu mittitq; rates, recipitq;

pitq; Silenus. In procerum cœtu tandem mœsta ora resoluit Vocibus his Magnus: comites belliq; fugæq; &c. Sed Pompeius ne Parthos adiret Lentulus persuasit, cuius uerba lege apud eundem Lucanū in 8.ibi, Siccine Thessalicæ mentem fregere ruinæ &c.

Vt deniq; in Pelusio &c. Idem Lucanus in 8. Tunc Celicū liquere solum &c.usq; ad finem. Quod de Septimio hic dicitur canit Lucanus ibidem. Sceptra sua donata manu, transire parantem Romanus Pharia miles de puppe salutat Septimius, qui(proh superûm pudor)arma satelles. &c. Hunc Appiū Sempronium nominat: nisi forte sit nominis deprauatio. Mortem Pompeij canit idem Lucanus uersus finem 8.Phar. Canit idem Lucanus circa finē noni quid egerit Cæsar erga Pompeij caput, à Ptolemæo sibi dono datū: dicit enim simulatas lachrymas emisisse. Vtq; fidem uidit sceleris, tutumq; putauit Iam bonus esse socer, lachrymas non sponte cadentes Effudit, gemitusq; expreßit pectore læto &c. Hic Theodotus Samius fuit rhetor, Ptolemæi regis pueri præceptor, de quo Appianus.

Cleopatra regis soror &c. Quæ hic de Cleopatra dicūtur, præter ea quæ scribūt Appianus, Plutarchus, cæteri, lege Lucanum 10 Phar.ibi, Iam Pelusiaci ueniens &c. Dicit præterea Lucanus, Cæsarem ex Cleopatra filios genuisse, ut, Admisit Venerem curis, & miscuit armis, Illicitosq; thoros, & non ex coniuge partus &c. Obseßus in regia &c. Hanc historiā lege 10. Phar.Luc ibi, Sic uelut in tuta &c. Item parum infra, Lucifer à Casia prospexit rupe &c.usq; ad finem. Cæsar, inquit Appianus, Photinum & Achillam ob ea quæ in Pompeium perpetrauerant, morte mulctauit. Theodotū demum fugientem Caßius quum in Asiam uenisset, cruce suspendit. Tumultu ob hanc rem inter Alexandrinos orto, quum regium exercitum in illum concitassent, pluribus prælijs circa regiam, & in maris littore certatum est. Quo in loco quum in mare desilijßet, & in profundo aliquandiu enataßet, Alexandrini uestem ab eo ademptam in trophæi modum erexere. Postremo iuxta Nilum cum rege certamen inijt. Lege Plutarchum, & Suetonium titulo 35. libri primi.

In Asiam quoq; nouus rerum motus &c. Hanc historiam scribunt Suet.tit.35.lib.1. Plutar.in Cæsare. Iustin.lib.42. Late 4. Comment. de bello Alexandrino. Eutrop.c.ultimo lib.6. Florus lib.113. abbreuiationum. Meminit Plin.cap.4.25. & cap.12.33. Appianus lib.2. bellorum ciuilium. Frontinus capite 2. secundi docet quo astu à Cæsare uictus sit.

At in Aphrica cum ciuibus &c. Bellum in Aphrica contra ciues à Cæsare gestum scribunt A.Hirtius Antodius lib.5.commentariorū, qui de bello Aphrico inscribitur. Liuius lib.113. & 114. Plutarch. in Cæsare & Catone Vticensi. Copiose Appianus lib.2. bellorum ciuilium.

Nec reliquias diceres, sed integrum bellum &c. L.Scipio partium Pompeianarū imperator, octo peditum legionibus instructus, equitū uiginti milibus, quorum maior pars Libycorum fuit. Ad hæc scutatis plurimis, & elephantis circa 30. & cum eo Iuba rex, qui pedites alios ad triginta milium numerum, Numidas equitū ad uiginti milium, lanceatores quoq; multos, & elephantes 60. alios secum duceret. Appianus lib.2. bellorū ciuilium. Pompeius præterea magnus apud Luc.8.Phar. sic loquitur: Non omnes in armis Emathijs cecidi, nec sic mea fata premuntur, Vt nequeam releuare caput, cladesq; receptas Excutere, an Libycæ Marium potuere ruinæ Erigere in fasces, & plenis reddere fastis? Me pulsum leuiore manu fortuna tenebit? Mille meæ Graio uoluuntur in æquore puppes, Mille duces, sparsit potius Pharsalia nostras, Quàm subuertit opes. Addit Appianus: In hunc modum, inquit, L.Scipionis exercitus 80. milibus militum ad prælium instructus, & iam pridem expertus, & ex prima pugna in spem maximam elatus, hoc secundo prælio penitus dißipatus est. De huius Scipionis interitu præter alios lege Val.tit.2.3.c.14. & Senecā epistola 24. ad Lucilliū copiose tam de Scipionis, q̄ de Catonis morte. Appia. L.Scipio, qui eo in bello impator fuit, hyemē in mari agens, hostilibus nauibus à casu obuius peregregie se geßit, donec supata eius claße seipsum interemit, sponteq; in mare præcipitē dedit.

Cato mortem etiam lætus acciuit &c. De interitu Catonis præter supradictos lege Gel.c.18.15. Lact.c.18.3. Plura August c.23.1. Ciuit. Val.c.2.3. Cicero 1. Offic. & 1. Tuscul. & alibi sæpe. De Catone Vticensi sic Lucanus in 9. Hunc ego per Syrtes Libyesq; extrema triumphum Ducere maluerim, q̄ per Capitolia curru Scandere Pompeij, quàm frangere colla Iugurthæ. Ecce parens uerus patriæ, dignißimus aris Roma tuis, per quem nunquam iurare pudebit, Et quem si steteris unquā ceruice soluta, Hunc olim factura deum. Horat.1.2. Liuius lib.1.14. Plura Hircius lib.6. comment. de bello ciuili.

Quasi

Quasi non esset usquam dimicatum &c. Bellum contra Pompeianos in Hispania à Cæsare gestum scribunt Plutarchus in Cæsare, Appianus 2. bellorum ciuilium. Late Hirtius lib 6. comment. de bello ciuili. Val. c. 6. 7. De Munda Hispaniæ ciuitate, & bello ibi à Cæsare gesto, multa Strabo lib. 3. Meminit Lucanus in primo, Vltima funesta concurrant prælia Munda. Syl. in 3. Et Munda Emathios Italis &c.

Tribus & uiginti uulneribus &c. De Cæsaris interitu scribunt præter supradictos Virg. 2. Geor. Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam, Quum caput &c. per totum. Horatius primo Carminũ ponit plurima prodigia, quæ mortem Cæsaris consecuta sunt: Iam satis terris niuis atq; diræ Grandinis misit pater &c. Spurina aruspex Cæsari prædixerat, ut proximos triginta dies caueret, quorũ ultimus erat Idus Martias: eoq; quum forte mane uterq; in domum Caluini Domitij ad officium conuenisset, Cæsar Spurinæ: Ecquid scis Idus Mart. iam uenisse? Et is: Ecquid scis illas nondum præterisse? Autor Val. c. 11. 8. Idem scribit Suet. in 1. Calphurnia præterea Cæsaris uxor nocte, quã is ultimam in terris egit, in quiete uidit, multis eum confectum uulneribus in suo sinu iacentem, somnijq; atrocitate uehementer exterritam, rogare non destitit, ut proximo die à curia se abstineret. At ille ne muliebri somnio motus id fecisse existimaretur, senatũ, in quo ei parricidarũ manus illatæ sunt, adire contendit. Idẽ Val. li. 1. c. de somnijs. Eo præterea die, quo Cæsar purpurea ueste uelatus aurea in sella consedit, ne maximo studio senatus exquisitum & delatum honorem spreuisse uideretur, priusquam exoptatum ciuium oculis conspectum sui offerret, cultui religionis in quam mox erat transiturus uacasset, mactatoq; opimo boue, cor in extis non reperit. Ac responsum sibi à Spurina aruspice, pertinere id signum ad uitam & consilium suum, quod utraq; hæc corde continerentur. Erupit deinde eorum parricidium, qui dum Cæsarem hominum numero subtrahere uolunt, deorum concilio adiecerunt. Val. lib. 1. c. de prodigijs, & Cicero libro 2. de diuin. Dicit ibidem Cicero, Cæsarem in curia Pompeiana ante ipsius Pompeij simulachrum, tot centurionibus suis inspectantibus, à nobilissimis ciuibus, partim etiam à se omnibus rebus ornatis trucidatum fuisse. Conspiratorum in cædem Cæsaris nomina lege apud Appianum 2. bellorũ ciuilium. Ibidem totam cædis seriem copiose explicat. Ouid. 3. Fast. Dicit in Cæsaris umbram, nõ in eius corpus sacrilegos desæuisse. Ait enim, Præteriturus eram gladios in principe fixos, Quum sic à castis Vesta locuta focis. Ne dubita meminisse, meus fuit ille sacerdos, Sacrilegæ telis me petiere manus. Ipsa uirum rapui, simulachraq; nuda reliqui. Quod cecidit ferro Cæsaris umbra fuit. Ille quidem cœlo positus Iouis atria uidet, Et tenet in magno templa dicata foro &c. Signa quæ mortem Cæsaris præcesserunt eleganter canit Ouid. 15. Met. ibi, Talia nequicquam toto Venus anxia cœlo &c. Suet. tit. 80. li. primi. Eiusdem Cæsaris translationem in deum scribit idem Ouidius ibidem, Hic sua compleuit &c. Vt enim sæpe dictum est, nobis omnia referre non placet. Aduertendum Iuliũ Cæsarem tria ciuilia gessisse bella: contra Cn. Pompeium in Pharsalia, contra Scipionem & Catonem in Aphrica, contra Sex. Pompeium in Hispania. Autores Seru. 6. Aeneid. Appianus, cæteri, Lucanus in 1. Diros Pharsalia campos Impleat, & Pœni saturentur sanguine manes, Vltima funesta concurrat prælia Munda.

CAESAR AVGVSTVS. CAP. III.

Populus Romanus Cæsare & Pompeio trucidatis &c. Caput istud tertium quasi prooemiũ est ad Cæsaris Augusti res gestas, Cuius si quis in unum Tantarum speret cumulos aduoluere rerum, Promptius imponet glaciali Pelion Ossæ. Gesta autem Octauij Augusti scribunt Liuius à 116. lib. ad finem usq; operis. Appian. lib. 2. 3. 4. & 5. bell. ciu. Suet. lib. 2. Plutar. in uitis Iulij Cæsaris. Cic. M. Anton. M. Bruti. Plura compendiose more suo Plin. cap. 45. 7. nat. hist. Solin. cap. 3. Gel. cap. 24. 10. & cap 7. 15. Macrob. 2. Saturn. Val. lib. 1. cap. de somnio. item cap. 6. 7. Lactant. cap. 8. 2. Sex. Aurelius, Sex. Rufus, Seru. 6. Aeneid. super illud Virg. Hic uir hic est tibi. Eutrop. lib. 7. Oros. lib. 6. Quæ de eo scribunt Virgilius, Ouidius, Horatius, ac poëtæ cæteri locis suis adducentur. Aduertendum Cæsarẽ Augustum quinque ciuilia gessisse bella. Suetonius tit. 9. secundi, & Seruius 6. Aeneid. Propertius prima secundi, Lucanus in primo, ibi, Hac mercede placent diros &c.

BELLVM MVTINENSE. CAP. IIII.

Prima Ciuilium motuum causa &c. Bellum Mutinense scribunt Liuius lib. 117. 118. 119. Appianus lib. 3. bellorum ciuil. Plutar. in M. Antonio. Front. cap 7. 1. ca. 13. & 14. 3. Cicero in Philip. Suet. tit. 10. & inde lib. 1. Meminit Ouid. 15. Met. q de Augusto loquẽs sic inquit: Illius auspicijs obsessæ

moenia pacem Victa petent Mutinæ. Idem Ouidius dicit 4. Fast. M. Antonium uictum ab Octauio bello Mutinensi 18. Cal. Maias. Luce secutura tutos pete nauita portus, Ventus ab occasu grandine mixtus erit. Sit licet & fuerit, tamen hac Mutinensia Cæsar Grandine militia contudit arma sua.

Cuius secundus hæres Antonius &c. Non lego M. Antonium hæredem institutum à C. Cæsare. Cæsar, inquit tit. 83.1. Suetonius, tres instituit hæredes sororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante, reliquos in ima cera. C. Octauium etiam in familiam nomenq; adoptauit: pluresq; percussorum in tutoribus filij, si quis sibi nasceretur, nominauit. D. Brutum etiam in secundis hæredibus. Appianus circa finem 1. bellorum ciuilium non nominat alium primum hæredem, nisi Octauium sororis suæ nepotem, ac filium adoptiuum, & subdit: Miserandum porrò uel in primis id uisum est, quum Decium Brutum ex eius percußoribus inter secundos hæredes scriptum cognouisset. Consuetudo nempe Romanorum in testamentis fuit, primis hæredibus secundos addere, ut si primi hæreditatem non adißent, nanciscerentur ultimi.

Acerrimi iuuenis &c. Decreuerat senatus, ne quis Augustum puerum diceret, ne maiestas tanti imperij minueretur. Autor Seruius in Bucol. Virgilius sæpe Octauium iuuenem nominat, ut, Hic illum uidi iuuenem Melibœe. &, Hunc saltem euerso iuuenem succurrere seclo Ne prohibe &c. Lege Cic. 4. & 5. Philip. De D. Bruto obseßo Frontinus cap. 13. & 14. tertij.

TRIVMVIRATVS. CAP. V.

Quum solus etiam grauis paci &c. Exponunt hoc caput contenta Liu. lib. 19. & 120. Plutar. in M. Antonio, in M. Bruto, in M. Cicerone. Appianus lib. 3. & 4. bellorum ciuilium. Suet tit. 12. 13. & 17. lib. 2. Eutrop. c. 1. 7. Oros. c. 16. 6. Meminerunt Plin. c. 45. 7. Et Solin. c. 5. Apud Confluentes inter Perusiam & Bononiam asserit 4. bellorũ ciuilium lib. Appianus Octauium, Antonium & Lepidum conuenisse in eam peninsulam, quam circa Mutinensem urbem Labinius fluuius efficit. De Ciceronis interitu præter supradictos lege Val. lib. 1. c. de auspicijs. item c. 5. 5. August. c. 30. 3. Ciuitatis.

BELLVM CASSII ET BRVTI. CAP. VI.

Brutus & Caßius sic Cæsarem &c. Bellum Caßij & Bruti scribunt Liuius lib. 121. 122. 123. & 124. Plutar. in M. Antonio & M. Bruto. Appianus lib. 4. bellorum ciuilium. Val. lib. 1. c. de ominibus. c. 23. c. 6. 4. c. 1. 5. c. 2. & 8. 6. c. 9. 9. Eutrop. c. 1. 7. Suet. tit. 13. 2. Oros. c. 16. 6. Front. c. 2. 4. Lege quæ scribit Lucanus lib. 2. ibi, At non magnanimi perculsit &c.

Nam & aßuetæ &c. Binas aquilas ad eos aduolantes argẽteis uexillis consedisse fama est, se inuicẽ rostris, unguibus lacerantes, uel ut alijs placet, se mutuo obseruantes, ac manentes: quæ publicis alimonijs à prætoribus educatæ sunt: eaq; die quæ pugnam antecessit, uolantes abierunt. Autor Appianus libro. 4. bellorum ciuilium. Val. libro 1. c. de auspicijs. Et rursus, Alites, inquit, exercitui insidentes sæpenumero mœstum clangorem edidere. Idem scribit Plutar. in Bruto. Hoc idem accidit ante pugnam Philippicam inter Cæsarem & Pompeium. Lucanus in 7. Nec solum Hemonij funesta ad pabula belli Bistonij uenere lupi &c. Vultures triduo ante aut biduo uolare soliti sunt, ubi cadauera futura sunt. Plin. c. 6. 10. Herodotus Brysonis Rhetoris pater, uultures ex diuerso orbe nobis incognito aduolare putauit, argumento quod nemo nidum uidisset uulturis, & quod multi exercitum sequentes repente appareant. Aristoteles capite quinto sexti naturæ animalium.

Obuius Aethiops &c. Ex Asia, inquit Appianus in 4. in Europam Bruto transmissuro cum exercitu, nocte deficiente penè lumine horrendam uigilanti astitiße imaginem, quam quum impauide rogaret ille, quisnam hominum aut deorum esset, hoc solum respondiße: Tuus ô Brute dæmon malus, in Philippis me uidebis: eamq; nouißima in pugna, quæ in Philippis acta est, iterum illi appariuße. Exercitui è castris exeunti Aethiopem obuium factum memorant, quem ut iniquum omen auersati interemere milites. Idem scribit Plutarchus in Bruto. Idem contigiße Caßio Parmensi apud Athenarum urbem, docet Val. lib. 1. tit. de somnijs c. 7. Faciunt huc quæ scribit idem Val. li. 1. tit. de ominib. c. 7. & 8.

Cæsaris medicus somnio admonitus &c. Somnium istud lege apud Val. Max. lib. 1. tit. de somnio. c. 1. De somnio quotuplex sit, cur accidat, quod uerum, quodq; falsum, notaui plura in annotationib. Claudiani de sexto consulatu Honorij ex Aristotele, Cicerone, Plinio, Macrobio, Augustino cap. 25. de spiritu & anima. Lucretius 4. lib. de rerum natura. Et quo quisque ferè &c.

BELLVM

BELLVM PERVSINVM. CAP. VII.

A Lterum bellum concitauit &c. Hoc bellum scribunt Florus lib.136.abbreu. Suet.tit.14. & 15. lib.2. Latius Appianus lib.5. bellorum ciuilium. Eutrop.cap.1.7. Oros.cap.16.6. Plin cap.45.7. Solin.c.3. Bellum Perusinū, & cætera ab Augusto gesta bella sic Propert. prima 2. explicat. Nam quotiens Mutinam, aut ciuilia busta Philippos, Aut canerem Siculæ Craßica bella fugæ, Euersosq; focos antiquæ gentis Ethruscæ, Et Ptolemææ littora capta Phari, Aut canerem Aegyptum, & Nilum, quum tractus in urbem Septem captiuis debilis ibat aquis, Aut regum auratis circundata colla catenis, Actiaq; in sacra currere rostra uia. Et Lucanus in primo, His Cæsar Perusina fames, Mutinæq; labores Accedant fatis, & quas premit aspera classes Leucas, & ardenti Seruilia bella sub Aetna. Lege quæ de Augusto scribit Maro 6. Aeneid. Hic uir, hic est tibi quem &c. Ex uerbis Propertij & Lucani patet, scriptores non semper seruare in scribendo eundem ordinem, quo res gestæ sunt. Quare nō mirum est, in uetustis Flori exemplaribus post Mutinense bellum Perusinum bellum immediate sequi, nisi hoc poëticæ tribuas licentiæ. Ouidius in fine Metamor. enumerans ciuilia bella ab Augusto gesta, Perusinum prætermisit. Illius auspicijs obseßæ mœnia pacem Victa petent Mutinæ, Pharsalia sentiet illum, Emathijq; iterum madescent cæde Philippi Et magnum Siculis nomen superabitur undis, Romaniq; ducis coniunx Aegyptia tædæ Non bene fisa cadet &c.

BELLVM CVM SEXTO POMPEIO. CAP. VIII.

S Vblatis percussoribus Cæsaris &c. Quæ hoc capite continentur scribunt Liuius lib.127.128. et 129. Suet.tit.16.2. Copiosius Appianus lib.5. bellorum ciuilium. Eutrop.cap.1.7. Oros.cap.16.6. Plin.cap.45.7. Solin. cap.3. Siculo bello ambulante in littore Augusto, piscis è mari ad pedes eius exilijt. Quo argumento uates respondere, Neptunum patrem adoptantem eum sibi, Sex. Pompeio repudiato. Tanta erat naualis rei gloria sub pedibus Cæsaris futuros, qui maria tempore illo tenerent. Autor Plin.cap.16.9. Lege carmina quæ capite præcedenti adscripsimus. Hoc bellum canit eleganter Horatius ode nona Epodi. Vt nuper actus Cum freto Neptunnius dux fugit ustis nauibus, Minatus urbi uincula, quæ detraxerat Seruis amicus perfidis.

BELLVM PARTHICVM DVCE VENTIDIO. CAP. IX.

Q Vamuis in Caßio & Bruto &c. Hoc bellum scribunt Liuius lib.127. & 128. Late Plutarchus in uita M. Antonij. Appianus in eo libro qui Parthicus inscribitur, copiose. Iustin. lib.42. Eutropius cap.2.7. Oros.cap.16.6. Multa Gel.cap.4.15. Noctium Atticarum. Et Val. Max.c.10.6. Frontinus cap.1.1. & cap.2.2. docet quo astu Parthos superauit. Ventidius hic primus Romanorū Parthos superauit. autor Eusebius in temporibus. Addit Appianus. Ventidius de Parthis usq; ad ætatē nostrā solus triumphat, uir natione ignobilis: quum in Antonij amicitiam se insinuasset, illustrium rerum occasiones adeptus est, quibus strenue usus, satis approbasse creditur quæ de Antonio & Cæsare dicta sunt, feliciores per alios quàm per seipsos esse in bello duces. Lege Gellium & Valerium ubi supra. Docet idem Appianus, Parthos decem & octo prælijs à Romanis superatos.

BELLVM PARTHICVM CVM ANTONIO. CAP. X.

E Xpertis inuicem Parthis atq; Romanis &c. Autores historiæ sunt Florus 130. lib. suarum abbreuiationum. Plutarchus in uita M. Antonij, Appianus in Parthico, Iustinus lib.42. Eutropius cap.1.7. Orosius cap.16.6. Frontinus capite 3. & 13. secundi.

Gens præter armorum fiduciam simulat fugam &c. Scribunt Appianus in Parthico, Plutarchus in M. Crasso, Parthos fugientes sagittas à tergo emittere, qua arte non minores quàm consistentes calamitates hostibus inferre. Virg. Fidentesq; fuga Parthum, uersisq; sagittis. Lucanus, Emißa Parthis post terga sagitta. Horat.12. ode 2. Carm. Idem scribit Naso primo de remedio, & in Ibin. Primo de arte, Quid fugis ut uincas &c. Claudianus, Parthis sagittas tendere certior. Latius scripsi rem hanc in Epithalamio Honorij & Mariæ apud Claudianum.

Non minor ex aqua postea &c. De hac re sic Appianus in Parthico: Primi igitur, inquit, ad flumen quoddam peruenere, cuius aqua frigida admodum ac splendida fuit, uerum salsa ac uenenosa: cuius causa adurente siti præcordia à dolore uexabantur.

Quod quum à Mardo &c. Idem scribit Plutarchus in Antonio. De Salmacidi Cariæ fonte, qui in

gredientes in eum effœminat ac molles reddit, lege apud Ouidium 4. Metamorph. ibi, Prætereo, dulcique animos nouitate &c. Lege Strabonem libro 14.

De sexdecim legionibus &c. Secundum enumerationem Appiani fuerunt in exercitu Antonij ferè tresdecim supra centum milia hominũ, ex quibus quum Antonius numerũ recenseret, 20. milia peditũ, quatuor equitũ milia amisisse cõperit: non tamen omnia bello, inquit, cæsa, uerum supra dimidium morbis ualetudineq; cõsumpta. Plutarchus dicit Antoniũ habuisse in suo exercitu 370. milia hominũ. In Parthorũ uero exercitu equitũ milia 400. In numero autem peremptorũ Plut. cũ App. concordat.

BELLVM CVM ANTONIO ET CLEOPATRA. CAP. XI.

Furor Antonij &c. Quæ hic scribuntur habentur à Liuio 130. & tribus sequentibus. Late Plutarchus in M. Antonio. Suet. tit. 17. & 18, lib. 2. Eutrop. c. 2. 7. Oros. c. 17. 6. Val. c. 8. 3. August. c. 30. 3. Ciuit. Lact. c. 8. 2. Lege quæ scribit Plin. c. 35. 9. c. 3. 21. c. 3. 33. Macrob. 3. Saturn. uersus finem.

Romanum imperium petit &c. Ouid. 15. Met. Romaniq; ducis coniunx Aegyptia tædæ Non bene fisa cadet, frustraq; erit illa minata Seruitura suo Capitolia nostra Canopo. Item in fine 1. Fastorum. Idem scribit Horat. penultima primi Carm. Dum Capitolio Regina dementes ruinas Funus & imperio parabat, Contaminato cum grege turpium Morbo uirorum, quodlibet impotens Sperare, fortunaq; dulci Ebria, sed minuit &c. Propertius 1. 2. Aut canerem Aegyptum &c. Latius elegia 7. 4. Meminit Iuuenalis satyra 2. Plura Virg. in fine 8. Aeneid. Hæc inter tumidi late maris &c. Ab ebrio imperatore. Scribit Plinius in fine 14. historiæ nat. M. Antonium hominem ebrium fuisse, edito etiam uolumine de sua ebrietate, quo patrocinari sibi ausus approbauit planè, & cætera quæ sequuntur.

BELLA ADVERSVS GENTES EXTERAS. CAP. XII.

Hic finis armorum ciuilium &c. Quæ hoc ultimo capite scribit Florus, habentur compendiose à Suetonio tit. 20. & 21, lib. 2. Liuio lib. 132. & sequentibus. Eutrop. c. 2. & sequentibus, libri 7. Oros. c. 17. ac deinceps lib. 6. Quas gentes Augustus deuicit, enumerat Virg. in fine 8. Aeneid. Itẽ Ouidius lib. 15. Metam. ibi, Quid tibi barbariam &c. Lege quæ scribit 2. Trist. Horatius 14. & 15. 4. Carminum. Appianus in eo libro qui Illyrius inscribitur, circa mediũ enumerat gentes quas Augustus subegit. Hi autem sunt Oxyei, Perthenethæ, Bitbiates, Thaulatij, Cambei, Merromeni, Parisci, Docleatæ, Carinij &c. Lege Sextum Ruffum.

In hos expeditionem ipse sumpsit &c. Hanc Illyricam expeditionẽ scribunt Liuius lib. 132. Appia. in Illyrio. Octauianus externa bella duo omnino per se gessit, Dalmaticũ adolescens adhuc, & Antonio deuicto Cantabricum. Dalmatico etiam uulnera excepit, una acie dexterum genu lapide ictus: altera autẽ & crus, & utrunq; brachium ruina pontis consauciatus. Autor Suet. tit. 20. lib. 2. Appianus dicit hoc accidisse non Dalmatico, sed Iapodum bello: item non in acie, sed urbis expugnatione. Hanc urbem Metulium nominatam dicit. Quam rem lege ibidem copiose. De Illyrio Plin. c. 21. 3. & Strabo lib. 3. Illyriorum situs & eorum originem affatim Appianus ubi supra. Bellum contra Pannonios ab Augusto gestum signant magis historici q̃ explicent. Appianus in Illyrico abunde scribit Pæonũ ab Augusto expugnationẽ. Quos enim Latini Pannonios dicunt, Græci eos Pæones nominant. Appianus meminit cuiusdam Elbij, per quem Possenos, qui ab Augusto defecerunt, domuit. Non lego Vibium aliquẽ, quo sint subacti Pannonij. Et hoc monendi gratia. Bellum contra Dalmatas ab Augusto gestum dicunt omnes qui Augusti gesta scribunt, sed copiose, ut cætera, Appianus in libro quem Illyricum inscripsit. Lege Suetonium tit. 20. 2. Strab. lib. 7. Delminiũ urbem incensam à M. Figulo dicit Appianus ubi supra. Credo ob hoc legendum non Marius, sed Marcus, hoc cap. in Floro. Quod de Mysijs hic scribitur, sumptum est ex lib. 134. & 135. T. Liu. Appianus in fine Illyrij. M. enim, inquit, Lucullus L. Luculli frater, qui Mithridatem debellauit, Mysiorum regionem excurrit omnem, & usq; ad fluuium cursum tenuit, nec ulterius quicq̃ à Ro. remp. regentibus, contra Mysios actum fuisse, aut ad tributa redactos esse, aut ab Augusto gestum fuisse memini. Suetonius, Eutropius, Orosius inter gentes subactas ab Augusto non numerant Mysos. Liuius cum Floro sentit. Idem Liuius lib. 135. scribit quod de Thracibus hic Florus habet. Pauci etiam meminerunt belli Thracij ab Augusto gesti. Sed Liuium sequitur Florus lib. 135. Dacos subactos ab Augusto dicunt omnes. Virgil. in fine 8.

Germaniam quoq; utinã &c. Bella in Germania auspicijs Augusti à Druso gesta scribit Liuius lib.

quatuor

quatuor ultimis ab urb.cond. Strabo in principio 7. Eutropius & Orosius ubi supra. Val.l.3.4.&c.5. 5. De isto Druso ad Cæsarem Augustum loquens sic 2. Tristium canit Naso, Ausoniumq; ducē solitis circumuolet alis, Ponat & in nitida laurea serta coma, Per quem bella geris &c. Plura Virg. in fine 8. Aeneid. Laudes Drusi huius Lyrico carmine decantat Horat. ode 4.4. Carm. eum aquilæ & leoni cōparans, Qualem ministrum fulminis alitem, Cui rex deorū regnū in aues uagas Permisit &c. Et subdit, Videre Rheti bella sub alpibus Drusum gerentem Vindelici, quibus Mos unde deductus per omne Tempus, Amazonia securi Dextras obarmet &c. Scribunt Porphyrio & Acron, Flaccum Horatiū 4. Carminū librum contra institutū fecisse, in laudem Drusi Neronis priuigni Augusti, filij Neronis. Drusi mortem longo simul & eleganti carmine deplorat Ouidius ad Liuiam matrem scribens. Scribit Liuius Drusum in Germania ex fractura cruris perijsse. Tranquillus autē Drusum morbo perijsse tradit. Bellum Germanicū simul cum supradictis sic exprimit 2. Tristium noster Naso, Nunc tibi Pannonia est, nunc Illyris ora domanda, Rhetica nunc præbent Thraciaq; arma metum, Nunc petit Armenius pacem, nunc porrigit arcus Parthus eques, timida captaq; signa manu, Nunc te prole tua iuuenē Germania sentit, Bellaq; pro magno Cæsare Cæsar habet. Hoc idem lege apud eundem Ouidium in Consolatoria ad Liuiam. ibi, Quod semper domito redijt tibi Cæsar ab orbe, Gestat & inuicta prospera bella manu, Quod spes implerunt &c.

Hercynium saltum &c. Hercyniæ syluæ roborū uastitas intacta & congenita mundo, propè immortali sorte miracula excedit. Vt alia omittantur fide caritura, constat attolli colles occursantiū inter se radicum repercussu. At ubi sequuta tellus non sit, arcus ad ramos usq;, & ipsos inter se rixantes curuari portarum patentiū modo, ut turmas equitum transmittant. Plin. c.3.16. Videtur autē nomen sumptum ex Græco: ἕρκος enim Græce, Latine circuitū septumq; significat. Hercynia sylua, inquit Strabo in 7. proceris frequens est arboribus, & munitissimis in locis admittens ambitū, in cuius medio sita est ora ad habitandū accōmoda. Sua enim magnitudine, qua dierū 60. iter occupat, uarias regiones ac gentes sepire uidetur. Difficilius est prouinciā obtinere quàm facere. Claudian. Plus est seruasse repertum, quàm quæsisse nouum. Et Ouidius primo de arte amandi, Non minor est uirtus, quàm quærere, parta tueri. Casus inest illic, hic erit artis opus. De cognomine ex prouincia Druso à senatu dato, Ouidius primo Fast. Et mortem, & nomen Druso Germania fecit.

Nihil illa cæde per paludes &c. Quæ hic scribit Florus lege copiose apud Strabonem in principio septimi. Quibus, inquit, fides adhibita fuerat, ij magnas clades intulerunt, sicuti Cherusci, & eorum ditioni subiecti. In quibus tres Romanorū ordines militum cum imperatore Quintilio Varo fœderibus fractis, per insidias obtruncati sunt. Pœnas uero luerunt uniuersi, & Germanico iuniori clarissimū præbuere triumphum, in quo illustrium uirorum ducta sunt corpora, simul & fœminarū, Semiguntus Segesti filius, Cheruscorum ductor, & soror eius &c.

Sub meridiano &c. Adduntur hæc à Floro in Augusti laudem, ut scilicet ostendat eum ex quatuor mundi partibus, id est, orbe toto uictoriam reportasse. Sic Horat. ode 14.4. Carm. Te Cantaber nō ante domabilis, Medusq; & Indus, te profugus Scythes Miratur, ô tutela præsens Italiæ, dominæq; Romæ. Te fontiū qui celat origines Nilusq; & Ister, te rapidus Tigris, Te belicosus qui remotis Obstrepit oceanus Britannis. Te nō pauentis funera Galliæ, Duræq; tellus audit Iberiæ. Te cæde gaudentes Sicambri Compositis uenerantur armis. Idem ode 15. eiusdem 4. Solus Florus & Orosius c.20. lib.4. quantū memoriæ nūc occurrit, hos sub meridiano tumultus inter Augusti gesta enumerāt. Suet. tit. 21.2. dicit Augustum alias item nationes male quietas ad obsequium redegisse. Ptolemæus et antiqua Plinij lectio c.4.5. nominant Musulamos. Castigandus Oros. ubi Vsulanos legitur.

Ad Orientem plus negocij &c. Scribit Suetonius tit.64.2. Augustum ex Agrippa & Iulia tres habuisse nepotes, Caium & Luciū & Agrippam. Caium & Luciū adoptauit domi, per assem & libram emptos à patre Agrippa. Subdit Suet. sequenti titulo, Caiū & Luciū in 18. mensiū spatio amisit ambos, Caio in Lycia, Lucio Massyliæ defunctis. Adde tu ad hæc quæ scribunt Eut. c.2.7. & Oros. c. ultimo 6.

Sub occasu pacata fere erat &c. Gesta ab Augusto in Hispania scribit Liu. lib.135. Iust. lib.44. Suetonius. tit.20. & 21. lib.2. Eutro. c.2.7. Cantabrico bello per quinq; annos acto, totaq; Hispania in æternam pacē cū quadam respiratione lassitudinis reclinata ac reposita, Cæsar Ro. redijt. Quibus etiā die-

bus &c. autor Oros.c.20.6. Lege Horat. ode 5.& 14.& 15.4. Carm. De his pupulis late Plinius & Strabo libro tertio. Scribit Plinius cap.69.2. auspicijs Augusti totum oceanum nauigatum fuisse.

Natura regionis circa se omnis auri &c. Poßidonius autor est, M. Marcellum tributum ex Celtiberia exegisse talentûm DC. Ex quo coniecturam facere licet, quod Celtiberorum natio frequentißima fuerit, & auri atq; argenti copia excellens, tametsi agrum incolentes sterilem. Strabo lib.3. Plin. multa de Hispaniæ fertilitate capite 3.3.cap.4.33.cap. ultimo libri ultimi. Solinus cap.36. Claudianus de laude Serenæ de Hispania sic inquit: Diues equis, frugum facilis, preciosa metallis &c. Chrysocolla, inquit c.5.33. Plinius, largißima in Hispania. De Minio Plin.c.7.33. De coloribus c.8.21.c.6.35.

Nam & Scythæ misere legatos &c. Suet.tit.21. secundi, Qua uirtutis moderationisq; fama, Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam suam, populiq; Romani per legatos petendam. Parthi quoq; & Armeniam uendicanti facile cesserunt, & signa militaria, quæ M. Crasso, & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt &c. Idem scribunt Liuius 139. Eutropius & Orosius ubi supra. Hos legatos apud Tarraconem citerioris Hispaniæ urbem, Augustum Cæsarem inuenisse scribit Orosius. Lege ipsum in fine sexti: quoniam hanc cæteris copiosius narrat historiam.

Nihil magis &c. Distantiam à Gaditano freto, quo legati ad Augustum uenerunt, ad Orientē, Indos Scythas atq; Seres ponit Plinius cap.33.lib.6. Ab ortu ad occasum, hoc est, ab ipsius Indiæ extremitate usq; ad Herculis columnas, Gadibus sacratas, octuagies quinquies centena septuaginta octo milia sunt. Lege Martianum Capellam cap.5.& duobus sequentibus, libri sexti.

Septingentesimo ab urbe condita anno &c. Legendum uidetur, septingentesimo quinquagesimo, uel septingentesimo quinquagesimo secundo, ut capite ultimo sexti habet Orosius. Nam ut etiam supra tetigimus, anno 709. uel 710. ab urbe condita, Octauianus Romano imperio potitus est. Pax autem de qua hic agitur, uidetur accidisse circa annum 38. imperij eiusdem. Anno enim 15. imperij Tiberij Christus dominus passus est, ut scribunt Tertullianus, Eusebius, Lactantius cap.10.4. Augustinus capite ultimo 18. Ciuitatis. item cæteri. Tiberius autem anno 767. ab urbe condita Romanum imperium adeptus est. Præterea anno septingentesimo ab urbe condita Cicero consul fuit, adhuc Iulio Cæsare superstite, ut capite primo quarti huius annotatum est. Lege quæ in principio quarti huius scripsimus.

Tractatum etiam in senatu &c. Quæ hic scribuntur lege late ex tit.7.2. Suetonij. Annotandum autem est, Idibus Ianuarijs, quo die Flamen Dialis in æde Iouis Capitolini ueruecem mactare consueuerat, Octauianum Augustum cognominatum fuiße. Autor Ouidius primo Fastorum. Quo cognomine sancta uocant augusta patres. Augusta uocantur Templa sacerdotum rite dicata manu, Huius & augurium dependet origine uerbi, Et quodcunq; sua Iuppiter auget ope. Huius Augusti tanta fuit animi uirtus atq; morum sanctimonia, ut diuinos honores uiuus meruerit. Horatius secundo epistolarū: Præsenti tibi maturos largimur honores, Iurandasq; tuum per nomen ponimus aras. Sed id excellentius multo, ut: Principe quo summo descendens Christus olympo, Virginis ingressus uiscera factus homo est. Hæc pauca habuimus quæ tumultuarie, & unius mensis ocio, ad Flori ampliandam historiam elucubrata publicaremus. Sed uereor ne occasionem pluribus dederim obloquendi, qui ut suæ consuetudini satisfaciant, nostras has unimestres uigilias obnixe culpent. Quibus in præsentiarū non aliud respondemus, nisi ut ipsi

Maiores maiora sonent, mihi parua locuto
Sufficit in uestras sæpe redire manus.

FINIS.

SEXTI RVFFI VIRI
CONSVLARIS AD VALENTINIANVM AVGVSTVM DE HISTORIA ROM. LIBELLVS.

BREVEM fieri clementia tua libellum præcipit. Parebo libens. Quippe quum desit facultas latius eloquendi, morem sequutus calculatorum, qui ingentes summas ære breuiori exprimunt, res gestas signabo, non eloquar. Accipe ergo quo breuiter dicta breuius computentur, ut annosam uetustatem reip. legendo detineamus, ac præteriti facta temporis non tam legere, gloriose princeps, quàm numerare uideatis. Ab urbe igitur condita in ortũ perennitatis uestræ, quo prosperius imperium Romanum sortitus es, anni numerantur sic: Sub regibus CCXLIII. sub cõsulibus CCCCLXVII. sub imperatorib. CCCCVII.

DE REGIBVS.

REgnauerunt Romæ per annos CCXLIII. reges numero septẽ. Romulus regnauit per annos XXXVII. Senatores per quinos dies annũ unum. Numa Pompilius regnauit annis XLIII. Tullus Hostilius regnauit annis XXXII. Ancus Martius regnauit annis XXIIII. Tarquinius Priscus regnauit annis XXXVIII. Seruius Tullius regnauit XXXIIII. Tarquinius Superbus expulsus est regno, anno XXXV.

DE CONSVLIBVS.

COnsules fuerunt à Iunio Bruto & Publicola in Pansam & Hirtiũ numero DCCCLXXVII. præter eos qui in eodem anno sorte aliqua sunt subrogati per annos CCCCLXVII. Quadraginta quinque annis Romæ consules defuerũt: sub decẽuiris, duobus: sub tribunis militum annis XLIII. Sine magistratibus Roma fuit annis quatuor.

DE IMPERATORIBVS.

IMperatores ab Octauiano Cæsare Augusto usque in Iouinianũ fuerunt numero XLIII. per annos CCCCVII. Sub his igitur tribus imperandi generibus, hoc est, regio, consulari, & imperatorio quantum Roma profecerit, breuiter intimabo.

REGNVM REGVM.

SVb regibus septem per annos CCXLIII. non amplius quàm usq; Portum atq; Ostiam XVIII. miliariũ à portis urbis Romæ, utpote adhuc paruæ, & à pastoribus conditæ, quum finitimæ circum ciuitates premerent, Romanum processit imperium.

REGNVM CONSVLVM.

SVb consulibus, inter quos & nonnunquã dictatores fuerunt, per annos simul CCCCXLVII. usque trans Padum Italia occupata est, Aphrica subacta,

ca subacta, Hispaniæ accesserunt, Galliæ & Britanniæ tributariæ factæ sunt. Inde Illyricum, Istri, Liburni, Dalmatæ domiti sunt. Ad Achaiam transitum est, Macedones subacti. Cum Dardanis, cum Mœsis & Thracibus bellatum est, ad Danubium usque peruentum. In Asia expulso Antiocho primum pedem posuerunt Romani. Mithridate uicto Ponti regnum occupatum est, & Armenia minor, quam idem tenuerat, armis obtenta est. In Mesopotamiam Romanus exercitus peruenit. Cum Parthis fœdus initum est. Contra Cardoneos ac Sarracenos & Arabes bellatum est. Iudæa omnis uicta est. Cilicia & Syria in potestatem populi Romani uenerunt. Aegypti reges fœderati sunt.

REGNVM IMPERATORVM.

SVb imperatoribus uero per annos quadringentos & septem, quum diuersa reipublicæ fortuna multi principes imperarent, accesserunt tamen Romano orbi alpes maritimæ, alpes Cottiæ, Rhetiæ, Noricæ, Pannoniæ, Misiæ, & omnis ora Danubij in prouinciam est redacta: Pontus omnis, Armenia minor, Oriens totus, cum Mesopotamia, Asia, Arabia & Aegypto sub imperij Romani iure transiuit. Quo autem ordine singulas prouincias Romana respublica assequuta est, ostenditur ita infra.

PROVINCIAE RO. IVRIS FACTAE.

PRima prouinciarum facta est Sicilia. Eam uicto Hierone Siculorum rege, Marcellus consul obtinuit: deinde à prętoribus recta est: postea est commissa præsidibus: nunc à consularibus administratur. Sardiniã & Corsicam Metellus uicit. Triumphauit de Sardis, qui rebellauere sæpe. Iuncta administratio harum insularum fuerat: pòst suos prætores habuit: nunc singulæ à suis præsidibus reguntur. In Aphricam pro defensione Siculorum Romana transmissa sunt signa. Ter Aphrica rebellauit: ad extremum deleta per Publium Scipionem, Carthago prouincia facta est: nunc sub consularibus agit. Numidia ab amicis regibus tenebatur, sed Iugurthæ ob necatos Adherbalem & Hiempsalem, Micipsæ regis filios, bellum indictum est: & eo per Metellum consulem attrito, per Mariũ capto, in potestatẽ populi Ro. Numidia peruenit. Mauritanię à Bocho rege obtentæ sunt: sed subacta omni Aphrica, Mauros Iuba rex tenebat, qui in causa belli ciuilis à Iulio Cæsare uictus, mortem sibi propria uoluntate conciuit: ita Mauritaniæ nostræ esse cœperunt. Ac per omnem Africam sex prouinciæ factæ sunt: Ipsa, ubi Carthago est, proconsularis, Numidia consularis, Tripolis & Mauritaniæ duæ, hoc est, Sitifensis & Cæsariensis, sunt præsidiales. Hispanis primum auxilium aduersus Aphros per Scipiones tulimus, rebellantes tot annos. Hispaniam per Decium Brutum obtinuimus, & usque Gades ad Oceanum mare peruenimus. Post ad Hispanos tumultuantes Decius Iulius Syllanus cum

exercitu missus eos uicit. Celtiberi cum Hispania sæpe rebellabant: misso minore Scipione cum excidio Numantiæ subacti sunt. Omnes penè Hispaniæ occasione belli Sertoriani per Metellum & Pompeium in deditionem acceptæ sunt: postea prorogato in quinquennium imperio, à Pompeio perdomitæ sunt. Ad extremum quoque ab Octauiano Cæsare Augusto Cantabri, Astures, qui freti montibus resistebant, deleti sunt. Per omnes Hispanias sex nunc sunt prouinciæ, Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitania, Gallicia, Betica, Transfretana etiam insula terræ Aphricanæ prouincia Hispaniarum est, quæ Tingitania cognominatur. Ex his Betica & Lusitania consulares, cæteræ præsidiales sunt. Cum Gallis populus Romanus grauissima bella habuit. Galli etiam illam partem Italiæ, ubi nunc Mediolanum est, usq; ad Rubiconem tenebant fluuium: in tantum uiribus freti, ut Romam ipsam bello peterent, & cæsis exercitibus Romanis, apud Alliam fluuium mœnia urbis intrarent, Capitolium obsiderent: ad cuius arcem sexcenti nobilissimi senatores confugerant, qui mille auri pondo se obsidione redemerunt. Postea Gallos cum uictoria remeantes Camillus, qui in exilio erat, collecta de agris multitudine oppressit: aurum & signa, quæ Galli ceperant, reportauit. Cum Gallis multi consules, prætores & dictatores euentu uario conflixerunt. Marius Gallos de Italia expulit, & trãscensis alpibus feliciter aduersus eos pugnauit.

DE C. CAESARE.

CÆterum C. Cæsar cum decem legionibus, quæ quaterna milia militũ Italorum habuerant, Galliam subegit: cum Gallis ultra Rhenum positis conflixit: per annos octo ab alpibus in Britanniam usque ad Gallias transiuit. Decimo anno Britannias, Gallias tributarias fecit. Sunt Galliæ cũ Aquitania & Britannijs prouinciæ decem & octo, Alpes maritimæ, prouinciæ, Narbonensis, Viennensis, Nouẽpopulana, Aquitaniæ duę, alpes Graię, Maxima Sequanorũ, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenses duæ: in Britannia, Maxima Cæsariensis, Britãnia prima, Britannia secunda. In Illyricum ab ora maritima paulatim regressi sumus. Leuinus Consul Adriaticũ atque Ionicum mare primus ingressus, maritimas obtinuit ciuitates. Creta per Metellum consulem, qui Creticus dictus, prouincia facta est. Græcis in fidem nostram confugientibus, ad Achaiam accessimus. Athenienses aduersus Philippum Macedoniæ regem auxilium nostrum petierunt. Libera diu sub amicitijs nostris Achaia fuit. Ad postremũ legatis Romanorum apud Corinthum uiolatis, per L. Mumium consulem capta Corintho, Achaia omnis obtenta est. Epirotę, qui aliquando cum rege Pyrrho etiam ad Italiã transire præsumpserant, uicti, atque Thessali simul cum Achiuorum & Macedonum regionibus nobis accesserunt. Macedonia ter rebellauit, sub Philippo, sub Perseo, sub Pseudophilippo. Philippum Flaminius, Perseũ Paulus, Pseudophilippum Metellus oppressit: quorum triumphis Macedoniæ

quoq;

quoq; populo Romano adiuncta eſt. Illyricos, qui auxilium Macedonibus attulerant, ex eadem occaſione per L. Manilium prætorē uicimus, & eos cum rege Gentio in deditionē accepimus. Dardanos & Mœſios Curius Proconſul ſubegit, & primus Romanorū ducum ad Danubium uſq; peruenit.

SVB IVLIO ET OCTAVIANO CAESARIB.

SVb Iulio & Octauiano Cæſaribus per alpes Iulias iter factū. Alpinis omnibus uictis Noricorū prouinciç acceſſerunt. Batone Pannoniorū rege ſubacto, in deditionē Pannoniæ uenerunt. Amantinis inter Sauum & Drauum proſtratis, regio Sauenſis, ac ſecundorum loca Pannoniorum obtenta ſunt. Marcomanni & Quadi de locis Valeriæ, quæ ſunt inter Danubium & Drauū, pulſi ſunt, & limes inter Romanos & barbaros ab Auguſto per Vindeliciam, per Noricum, Pannoniam ac Mœſiam eſt conſtitutus.

DE TRAIANO.

TRaianus Dacos ſub rege Decibalo uicit, & Daciam trans Danubiū in ſolo barbarico prouinciā fecit, quæ in circuitu habuit decies centena milia paſſuum. Sed ſub Galieno imperatore amiſſa eſt, & per Aurelianū tranſlatis exinde Romanis, duç Daciæ in regionibus Mœſiæ factæ ſunt. Habet Illyricus ſeptem & decem prouincias: Noricorum duas, Pannoniorum duas, Valeriam, Seruiliā, Sauiam, Dalmatiam, Mœſiam, Daciæ duas. Et in ditione Macedoniæ ſunt ſeptem, Macedonia, Theſſalonica, Achaia, Epiri duæ, Præualis & Creta. In Thracias Macedonici belli occaſione tranſcurſum eſt. Sæuiſſimi omnium gentiū Thraces fuerunt. In Thracū regionibus Scordiſci habitauerunt, pariter crudeles, & callidum genus: de quorum ſæuitia multa fabuloſe memorantur: quod hoſtium captiuos dījs ſuis litauerūt, atq; ſanguinem humanum in oſſibus capitum potare ſunt ſoliti. Sæpe per eos Romanus cæſus eſt exercitus. M. Didius uagantes Thracas repreſſit. M. Druſus intra fines proprios continuit. Minutius in Hebri fluminis glacie uaſtauit. Per Appium Claudium Proconſulem hi qui Rhodopam incolebant, uicti ſunt. Europæ maritimas urbes, antea Ro. claſſis obtinuit. M. Lucullus per Thraciam cum Beſſis primus pugnauit, ipſam caput gentium uicit. Thraces enim montanos ſubegit, & Eumolphidam, quæ nunc Philippopolis dicitur, Olympiadam, quæ modo Adrianopolis nominatur, in ditionē noſtram redegit. Cauillam cepit. Supra Pontū poſitas ciuitates occupauit, Apolloniā, Gallaciam, Parthenopolim, Tomos, Hiſtrum ad Danubiū uſq; perueniens Romanus Scythis arma monſtrauit. In ditionem reip. ſex Thraciarum prouinciæ ſunt cōquiſitç, Europa, Thracia, Hemi mons, Miſia inferior, Scythia, Rhodope, in qua nunc ſede arces Ro. urbis ſunt conſtitutæ Conſtantinopolis. Nunc autem eas partes, totumq; orientem, ac poſitas ſub uicino ſole prouincias, qui autores ſcriptis ſuis parauerunt explicabo, quo ſtudium clementiæ tuæ, quod in hiſdem propagandis habebis, amplius incitetur.

DE ORIENTALIBVS REGIONIBVS A POpulo Romano subactis.

ASia societate Attali regis nota Ro.est: eamq; Attali testamēto relictā hæreditario iure possidemus: ne quid tale populus Ro. nō uiribus partum haberet, armis per nos ab Antiocho Syriorum rege maximo est uindicata. Eadem occasione etiam Lydia sedes antiqua regnorum, Caria, Hellespontus, ac Phrygia in potestatem populi Ro. iuncta deditione uenerunt. Rhodijs & insularū populis primū infestissimis, post fidelissimis auxiliatoribus usi sumus: ita Rhodus insula primum libere agebat, postea in cōsuetudinē parēdi Romanis clemēter prouocantibus peruenit. Et sub Vespasiano principe insularum prouincia facta est. Pamphyliam, Phrygiam, Cariam, Icariam Seruilius proconsul ad bellum Epirotarum missus obtinuit. Bithyniam defuncti Nicomedis testamento assequuti, Gallogræciā, id est, Galatiam: sunt enim ut ex Gallis sonat nomen Galatæ, quos quod Antiocho contra Romanos auxilium præbuissent, inuasimus. Mumius proconsul Galatas persequutus est, quum fugientes partim in Olympum, partim in Megaram montem, qui nunc Modiatus dicitur, de arduis eos in plana detrusit, & uictos in perpetuam pacem redegit. Postea Galatiam Deiotarus Boetiæ rex nobilis Romanis permittentibus tenuit. Ad extremum sub Octauiano Cæsare Augusto Galatia in formā prouinciæ redacta est. Eam primus Lolius administrauit. Cappadoces primo societatē nostrā sub † Ariararte rege petiuerūt, posteaq; Ariobarzanes rex Cappadocū à Mithridate expulsus, Romanorum armis restitutus est, semperq; in auxilia nostra fuerunt Cappadoces, & ita maiestatē coluere Romanam, ut in honorē Augusti Cæsaris Megara ciuitas Cappadociæ maxima, Cæsaria nuncuparetur. Postremo quum sub Imperatore Claudio Cæsare Archelaus ex Cappadocia Romā uenisset, ibiq; diu detentus occubuisset, in prouinciæ speciem Cappadocia migrauit.

als, Ephragē

REVERTITVR AD ORIENTEM.

POntus per Pompeium uicto Mithridate rege Pontico, formā prouinciæ accepit. Paphlagoniā Philomenes rex amicus pop. Ro. tenuit. Sæpe ex ea pulsus regno à nobis est restitutus, quo mortuo prouincia eius Paphlagonibus imposita est. Vltra iuga Tauri montis quemadmodum Romana possessio perrexit, consequenti locorum magis quàm temporum seruata digestione monstrabitur. Antiochus Syriæ rex potentissimus bellum formidabile po. Ro. intulit. Trecenta milia armatorum habuit, falcatis curribus & elephantis aciem destruxit. A Scipione consule fratre Scipionis Aphricani in Asia apud Magnesiam uictus est. Pace accepta intra Taurum regnare permissus est. Eius filij regnum Syriæ sub clientela P.R. retinuerunt: quibus defunctis Syriarum prouincijs potiti sumus. Cilices & Isauros qui se pira-

tis & prædonibus iunxerant, Seruilius proconsul ad prędonum bellũ missus subegit, & uiam per Taurum montem primus instituit. Hicq; de Cilicibus & Isauris triumphauit, atq; Isauricus cognominatus est. Cyprus famosa diuitijs paupertatẽ populi Ro. ut occuparetur sollicitauit. Eam rex fœderatus regebat: sed tanta fuit penuria ærarij Ro. & tam ingens fama opum Cypriarum, ut lege lata Cyprus confiscari iuberet: quo accepto nuncio rex Cyprius uenenum sumpsit, quo uitam prius quàm diuitias amitteret. Cato Cyprias opes nauibus aduexit, ita ut ius eius insulæ auarius quàm iustius simus assequuti. Cyrenas cum cæteris ciuitatibus Libyæ, Pentapolis, Ptolemæi antiquioris liberalitate suscepimus. Libyam supremo Apionis regis arbitrio sumus assequuti. Ægyptus omnis sub amicis regibus fuerat: sed uicta cum Antonio & Cleopatra, prouinciæ formam Octauij Cæsaris Augusti tempore accepit. Et primum apud Alexandrinos Cornelius Gallus Romanus iudex administrauit, per confinia Armeniarum primum sub L. Lucullo Romana trans Taurum signa transmissa sunt uisa. Saraceni & Hirinæ superati cessere: in Mesopotamia ab eodẽ Lucullo urbs capta est: postea per Pompeiũ eadem loca armis obtenta sunt. Syriæ ac Phœnices bello à Tigrane Armeniorum rege receptæ sunt. Arabes & Iudæi in Palęstina uicti sunt. Ad extremum sub Traiano principe regis maioris Armeniæ diadema sublatum est. Per Traianum Armenia, Mesopotamia, Syria & Arabia prouinciæ factæ sunt, ac limes Orientalis supra ripam fluminis Tigridis constitutus est. Sed Adrianus qui successit Traiano, inuidens gloriæ Traiani, sponte Armeniam & Mesopotamiam & Syriam reddidit, ac mediũ inter Persas & Romanos Euphratem esse uoluit. Et postea sub Antoninis duobus Marco & Seuero nota pertinacia, cæterisq; principibus Ro. qui aduersus Parthos euentu uario dimicauerunt, quater amissa, quater accepta Mesopotamia est. Et Diocletiani temporibus uictis prima congressione Romanis, secũdo autem conflictu superato rege Narseo, & uxore eius ac filiabus captis, & eis summa pudicitiæ custodia reseruatis, pace facta, Mesopotamia est restituta, & supra ripam Tigridis limes est refirmatus, ita ut quinq; gentium trans Tigridem constitutarũ ditionem assequeremur. Quæ conditio fœderis in tempus diui Constantini conseruata durauit. Scio nunc quò tua uergat intentio. Requiris profecto quemadmodum Babyloniæ & Romanorum arma collata sint, & quibus uiribus sagittis pila cõfoderint. Breuiter euentus enumerabo. Bellorum furto hostes in paucis inuenies esse lætatos, uera autẽ uirtute semper Romanos probabis extitisse uictores.

DE LVCIO SYLLA.

PRimum à L. Sylla proconsule Arsaces rex Parthorum missa legatione, amicitiam populi Romani rogauit ac meruit. L. Lucullus Mithridatem regno Ponti exutũ ad Armeniam prosequutus est, Tigranem Armeniorũ

regem

regem cum septem milibus clypeatis, & centum uiginti milibus sagittariorum, ipse cum decem & octo milibus uicit, Cirram maximam Armeniæ ciuitatem expugnauit, Medenam optimam Armeniorum regionem obtinuit. Per Meletem ad Mesopotamiam descendit, Ninsabium cum fratre regis cepit: tendere in Persas paratus, successionē accepit G. Pompeius expertę felicitatis ad Mithridaticum bellum missus, Mithridatem in Armenia minore nocte aggressus prælio superauit, cęsis duobus & quadraginta milibus hominum, castra inuasit. Mithridates enim cum uxore & duobus comitibus in Bosphoros fugit. Ibi desperatione rerum suarum uenenum hausit: & quū uis ueneni parum ageret, à milite suo ut ferro percuteretur impetrauit. Pompeius auxiliatorē Mithridatis Tigranē Armeniorū regem persequutus est. Ille se oblato diademate apud Artaxata dedidit. Receptæ sunt ab eo Mesopotamiæ, Syriæ, & aliquanta pars Phœnicis, & in Armenia minore regnare permissus est. Item Pompeius Bosphoranis, & Colchis Aristarchum regem imposuit, cum Albanis conflixit, Orcodo Albano regi ter uicto pacē dedit. Hiberiam cum Arsace rege deditione accepit. Saracenos & Arabes uicit. Iudæa capta Hierosolymā obtinuit. Cum Persis fœdus fecit. Rediens apud Antiochiā Damnensem lacum, loci delectatus amœnitate & aquarū abundantia, addito nemore consecrauit.

DE MARCO CRASSO.

MArcus Crassus consul aduersus rebellantes Parthos missus est. Is quū pax missa à Parthis legatione rogaretur, apud Ctesiphontem responsurum se ait: qui apud† Zeomatem traiecit Euphraten, à transfuga quodam Maracho inductus, ad ignotam camporū solitudinem descendit. Is undique circunuolantibus sagittariorum agminibus cum Silane & Silena præfectis regis est cinctus exercitus, & ui telorū obrutus, ipse Crassus qui ad colloquiū sollicitatus uiuus penè capi posset, repugnantibus Tribunis euaserat: & dum fugam petit, occisus est. Caput eius cum dextera manu resectum ad regē perlatum est, atque ita ludibrio habitum, ut faucibus eius aurum liquefactum infunderetur, scilicet ut qui ardens cupiditate prædandi pacem regis rogatus abnuerat, etiam mortuo eius reliquias auri flamma conbureret. L. Crassus quæstor uir strenuus Crassi reliquias fusi collegit. Exercitus contra Persas in Syriam irrumpens, ter cum summa administratione conflixit, eosque trans Euphratem redactos uastauit. Parthi Labieno duce, qui Pompeianarum partium fuerat & uictus ad Persas refugerat, in Syriam irruperunt, ac totam prouinciam occupauerunt. P. Ventidius Bassus Parthos qui duce Labieno Syriam inuaserat, occurrens in Caparo monte cum paucis fugauit, Labienum occidit, persequutus est Persas, & ad interemptionem strauit. Qua congressione Parthorum regis filium die qua Crassus uictus fuerat occidit,

† als, Zeumā

ne aliquando Romani ducis mors inulta relinqueretur. Ventidius de Persis triumphauit. Marcus Antonius in Mediam ingressus, quæ nunc Medena appellatur, bellum Parthis intulit, & primum eos uicit: post duabus legionibus amissis, quum fame, pestilentia, tempestatibusque premeretur, uix per Armeniam Persis insequentibus reuocauit exercitum, tanto per momenta temporum terrore perculsus, ut à gladiatore suo percuti postularet, ne uiuus ueniret in hostium potestatem.

REGNVM SOLVMMODO QVOD SVB Cæsaribus habitum est.

SVb Octauio Augusto Cæsare Armenia cum Parthis conspirauit. Claudius Cæsar nepos Augusti cum exercitu missus ad Orientem, quum per maiestatem Romani nominis facile cuncta sedasset, atque ei se tunc Armeni, qui tunc tēporis ualidiores erant Parthis, dedidissent, & iudices ex instituto Pompei dictis gentibus Claudius Cæsar præficeret, Dones quidam quem Arsaces præposuerat, proditione simulata libellū in quo scripti thesauri continerentur obtulit. Quem quū Romanus Imperator legeret intentius, ultro Dones aggressus Claudium uulnerauit: percussor quidem à militibus confossus est, Claudius uulneratus reuersus in Syriam obijt. Persæ ad satisfactionem tam audacis admissi obsides tunc primum Octauio Cæsari dederunt, & erepta sub Crasso signa retulerunt. Pacatis gentibus Orientis Augustus Cæsar etiam Indorum legationem primus accepit. Nero quem turpissimum Imperatorem Romana respublica est passa, amisit Armenias duas, tum legiones duæ sub iugo à Persis missæ, extremo dedecore Romani exercitus sacramenta fœdauere. Traianus qui post Augustum Romanæ Reipu. mouit lacertos, Armeniam recepit à Parthis, sublato diademate regi Armeniæ maioris regnū ademit, Albanis regē dedit, Lubros, Bosphorianos, Colchos in fidem Romanæ ditionis accepit. Sarracenorum loca & Arabum occupauit. Adiabenos & Marcomedes obtinuit ante Mulsium: optimam enim Persidis regionem Seleuciam & Ctesiphontem & Babyloniam accepit, & tenuit usque ad Indiæ fines. Post Alexandriā accessit, in mari rubro classem instituit, prouincias fecit, Armeniam, Mesopotamiam, & Assyriam, quæ post & apud Tigridem atque Euphratem sita, irriguis tribus amnibus instar Ægypti fœcundatur. Adrianū gloriæ Traiani certum est inuidisse, qui ei successit imperio. Hic sorte propria inde eductis exercitibus, in Armeniā & Mesopotamiam, & Assyriam cōcessit, & inter Romanos & Persas Euphratem esse uoluit. Antonini duo Marcus & Seuerus, hic socer, & ille gener, pariter Augusti Imperatores, orbis æquata primum potestate imperium tenuerūt. Sed ex his Antonius iunior ad expeditionem Parthicā profectus est, multa ingentia aduersus Persas feliciter gessit. Seleuciam Assyriæ urbem cum qua- dringentis

dringentis milibus hostium cepit, ingenti gloria de Persis cum socero triumphauit. Seuerus natione Apher, acerrimus Imperator Parthos strenuissime uicit, Ariabenos deleuit, Arabes obtriuit, Arabiam prouinciã refecit. Huic cognomina ex uictorijs acqsita sunt: nã Ariabenicus, Parthicus & Arabicus cognominatus est. Antoninus Bassianus cognomento Caracalla, filius Seueri Impatoris, expeditionẽ in Persas parãs, in Osdroene apud ciuitatẽ Aedessã propria morte obijt, & ibidẽ sepultus est. Aurelius Alexãder quasi fato quodam in exitiũ Persicæ gentis iuuenis admodũ Romani imperij gubernacula suscepit. Ipse Persarũ regem nobilissimũ Darsem gloriose uicit. Hic Alexander sacrorũ scriniorum magistrũ habuit Vlpianum iurisconsultũ. De Persis pompa spectabili triumphauit. Sub Gordiano Augusto ex iuuentutis fiducia rebellantes Parthi ingentibus prælijs cõcussi sunt. Itaq; de Perside rediẽs uictor, fraude Philippi q præfectus prętorio eius erat, occisus est: milites ei tumulũ in xx. miliario à Cirgesso quod nũc extat ædificarũt, atq; exequias eius Romã cũ magna reuerentia deduxerũt. Valeriani infausti principis fortunã tædet referre. Is cum Galieno suscepit imperiũ: sed hũc exercitus, Galienũ senatus Imperatorẽ fecit, è quibus in Mesopotamiã aduersus Persas Valerianus congressus, à Sapore Persarũ rege superatus est, & captus dedecore uitæ suæ cõsenuit. Sub Galieno Mesopotamiã inuasam & Assyriã etiã sibi Persæ uendicare cœperant, nisi quod turpe est, Odenatus decurio Palmitenus collecta Syriorũ agrestiũ manu acriter restitisset, & fusis aliquoties Persis, non modo nostrũ militem defendisset, sed etiã ad Ctesiphontẽ Ro. ultra imperiũ quod mirũ est dictu penetrasset. Aureliani Imperatoris gloriæ Zenobia Odenati uxor accessit: ea enim post mortẽ mariti fœminea ditione Orientis tenebat imperium, quã Aurelianus multis clypeatorũ & sagittariorũ milibus fretam apud Himas haud procul ab Antiochia uicit, & captam Ro. triumphans ante currum duxit. Cari Imperatoris uictoria de Persis nimium potens superno numini uisa est: nam ad inuidiam superni numinis pertinuisse credenda est. Is enim ingressus Persidem, & quasi ei nullo obstante uastauit, Colcham & Ctesiphontem urbes nobilissimas cepit. Quum uictor totius gentis castra super Tigridem haberet, fluminis ictu interijt. Sub Diocletiano principe pompa uictoriæ nota de Persis est. Maximianus Cæsar prima congressione quum contra innumeram multitudinem cum paucis acriter dimicasset, pulsus recessit. Hic tanta indignatione à Diocletiano susceptus est, ut ante carpentum eius per aliquot milia passuum occurrerit purpuratus, quum uix impetrasset ut reparato de limitaneis Daciæ exercitu euentum martis repeteret. In Armenia maiore ipse Imperator cum duobus equitibus explorauit hostes, & cum uiginti milibus militum superueniens castris hostium subito innumera Persarum agmina aggressus ad interem-

ptionem occidit. Rex Persarum Narseus effugit, & uxor eius & filiæ captæ sunt, & maxima pudicitiæ custodia reseruatæ. Pro qua admiratione Persæ non modo armis Romanos superiores esse confessi sunt, sed Mesopotamiã cum Transtigranis quinque regionibus reddiderunt: pax facta est,& usque ad nostram memoriam Reipub.perutilis perdurauit. Constantinus rerum dominus extremo suæ uitæ tempore expeditionem parauit in Persas: toto enim orbe pacatis gentibus, & recenti de Gothis gloriosior uictoria,multis in Persas descendebat agminibus: sub cuius aduentu Babyloniæ intantum regna trepidauerunt,ut supplex eorum legatio occurreret,Persas facturos se imperata promitteret: nec tamen pro assiduis eruptionibus quas sub Constantino Cæsare per Orientem tentauerant,ueniam meruerũt. Cõstantinus in Persas uario ac magis difficili pugnauit euentu,prȩter leues excubantium in limite congressiones,acriore acie nouies decertatum est:per duces suos septies, ipse præsens bis affuit. A ueris & grauibus pugnis Berna & Singarena præsente Constantino & Segarena Constantiensi quoque,& cum amica capta est. Graue sub eo principe respublica uulnus accepit. Ter autem est à Persis obsessa Nisibis ciuitas:sed maiori suo detrimento dum obsideret, hostis affectus est.Marensi autem bello ubi Narseus occidit, superiores discessimus.Nota uero in agro Aliense prope Singarenam pugna, ubi Constantinus affuit. Omnium expeditionum compensatus fuisset euentus, si locis & nocte aduersantibus percitos ferocia milites ab intempestiuo pugnãdi tempore Imperator ipse ad loquendum reuocare potuisset. Qui tamen inuicti uiribus, improuisi aduersus sitim aquarum subsidijs incumbentes uespere castra Persarum aggressi,ruptis munitionibus occuparunt. Fugatóque rege quum à prælio respirantes prætentis luminibus inhiarent aquæ, nimbo sagittarum obruti sunt. Quur stolide ad dirigendos certius in se ictus lumina ipsi per noctem accensa præbuerũt? Iuliano in externos hostes expertæ felicitatis principi aduersus Persas modus defuit. Is cũ ingenti apparatu utpote totius orbis regnator infesta in Persas signa commouit, instructam commeatibus classem per Euphratem inuexit. Strenuus multa Persarum oppida ac castellla, aut suscepit dedita, aut manu cepit. Quum contra Ctesiphontem in Tigridis & Euphratis ripa iam mixti castra haberet, ludósque campestres, ut hosti solicitudinem demeret, & per diem agitasset, noctis in medio impositos nauibus milites in ulteriorem ripam Parthis transuexit: quæ per ardua nitentes, quâ difficilis etiam per diem & nullo prohibente fuisset ascensus, Persas terrore subito miscuerunt, euersis agminibus totius gentis, apertis & Ctesiphonte portis uictor miles intrasset, ni maior prædarum occasio fuisset quàm cura uictoriæ. Tantam adeptus gloriam, quum de reditu à militibus admoneretur, intentioni suæ magis

credidit,

credidit,& exuſtis nauibus cum transfuga, qui ad ſe fallendum obiecerat,inductus in Eumandeuiam uiæ compendia ſectaretur: dextrum iter aduerſa Tigridis ripa nudato militum latere iter relegens, quũ incautius per agmen erraret,excito puluere ereptus ex ſuorum cõſpectu ab hoſtium obuio equite conſpecto per ilia ictus inguine tenus uulneratus eſt. Inter effuſionem nimij ſanguinis,quum ſuorum ordinem licet ſaucius inſtauraſſet, cunctantem animam multis ſuos alloquutus efflauit. Iouinianus prælij ſuperiorẽ,ſed confuſum morte Imperatoris amiſſi ſuſcepit exercitum. Quum commeatus deficerent, & uia in reditu prolixior immineret, Perſæ crebris excurſibus nunc à fronte,nunc à tergo,mediorum quoq; latera incurſantes inter agmina morarentur, conſumptis aliquot diebus, tanta reuerentia Romani nominis fuit, ut à Perſis primus ſermo de pace haberetur. Ac tunc confectus inedia exercitus conditionibus,quod nunquã antea accidit Romanæ Reipub.ſtipendiorum impoſitis, ut Niſibis & pars Meſopotamiæ traderetur:quibus cupidior regni quàm gloriæ Iouinianus imperio rudis acquieuit. Quàm magno deinceps ore tua princeps facta inclyta ſint perſonãda; quibus me licet imparem dicendi nixu & æuo grauior parabo. Maneat modo conceſſa dei nutu & amico cui te credideris & creditus es numine, indulta felicitas. De hac gẽte,ſicut de Gotthis,etiã Babylonibus tibi palma pacis accedat glorioſiſſime principum Valentiane Auguſte.

FINIS.

MESSALAE

MESSALAE CORVINI

ORATORIS DISERTISSIMI AD OCTAVIANVM Auguſtum de progenie ſua libellus.

QVVM frequenter me digna moueat poſtulatio tua gentium glorioſiſſime Imperator, ut progeniẽ tuæ ſcilicet inclytæ poſteritatis, ſimul & urbis Romæ prima regimina ab exordio literis diſtinguere mihi perſuadeam: parebo clementiæ tuæ, & operã dabo, aliquid ingenij, ſed parũ laboris occupare. Nã quę poſcis, quũ ab hiſtoricis, ſtudioſiſſimisq́ ueterũ autoribus lõge lateq́ ſint declarata, & te copioſiſſime rerũ maximarũ ſtudijs deditum haud ignorem: tamen quia iubes, opus expediam, & tuæ uetuſtiſſimæ gentis proſapiã, quæ nunc in ampliſſimo maieſtatis culmine locata ſolũ ad ſydera ſpectat, arctato itineris limine inſiſtam declarare. Nam quanquã à profundo originis fonte curſus pedetentim ſubſequendus foret, accelerare maturabo ſereniſſime Cæſar Auguſte. Totus terrarũ ambitus, quẽ undique Oceanus uerberat undis, ab hiſtoricis & coſmographis trifarie diuiditur: cuius partium prima inter Septentrionẽ & Meridiem ad Orientẽ extenditur Aſia. Secunda ab oſtio fluminis Tanais, Hircanorũq́ finibus, ubi iungitur Aſiæ inter ſeptentrionalẽ Oceanum & mediterraneum æquor ad ultimas Hiſpanias, in occaſu terminat Europa. Tertia ab Ægypto Niloq́ flumine exordiũ trahens, relictis terminis Aſiæ inter meridiem & mediterraneum fretũ producta ad occaſum in Atlantici Oceani littore definit Africa. Aſia ergo, ſi ad numerum ſpectamus, orbis terrarum pars tertia erit: ſi ad magnitudinẽ, medium terrarũ orbem in ſe continere uideri poterit: ſic dicta à nomine cuiuſdam mulieris, Oriẽtis reginæ. In ea igitur inter cæteras prouincias, minor Aſia eſt, in qua Phrygia regio ſic dicta à Phrygia Æſopi & Europæ filia: &, ut alij tradunt, ex Ioue & Europa nata. Dardanum Ioue & Electra Atlantis filia progenitum deorũ monitu ab Italia, &, ut alijs placet, è Creta inſula patrios deferentem lares multitudine gentiũ ad hanc Phrygiam deueniſſe ferunt, urbem condidiſſe, eamq́ ex ſe Dardaniã nuncupaſſe: unde gens Dardana, & incolentes terras Dardanidę dicti. Hoc regnante, de Creta cum manu electiſſimorum iuuenũ forte noui regni fama concitũ Teucrum ad Phrygiam patrijs ſedibus expulſum dicitur cõueniſſe: qui à Dardano & dextera, & fide data, in parte regni cõſors ſuſceptus eſt, ut numeroſiori populo noua implerentur mœnia. Ita ſub duobus regibus haud diſcrepantibus Dardania potẽtia & magnitudine aucta, pacifice aliquandiu ſtetit. Huius Teucri in regendo & Rempub. augendo bonitas, comitasq́ tanta fuit, ut eo defuncto,

ſuperſtite

superstite Dardano,ob ipsius inclytæ memorię gloriosissimũ decus,qui Dardanidæ nuncupabantur, deinceps Teucri cognominarent. Vt Virg. Maro,

Hic genus antiquum Teucri pulcherrima proles.

Dardanus filium habuit Erichthonium,quẽ post sui obitum regnantem reliquit. Erichthonius Troum genuit, qui iustitia & pietate insignis, mutato Dardaniæ nomine, ex se urbẽ Troiam nominari permisit. Hinc Troianum nomen ortum.Duos filios Trous habuit,Ilum scilicet & Assaracũ. Ilus uero quia maior natu,defuncto patre regnũ obtinuit, & intra urbis mœnia illam eminentissimam atq; gloriosissimam arcem edidit,quæ ex sui nomine Ilium nuncupata: unde Ilienses Troiani dicti. Is Laomedontẽ filium reliquit, quo regnante Iason & Hercules,ualidissimorum iuuenũ Græcorũ comitatu, quũ ad Colchos ob uelleris aurei cupidinẽ transfretarent ,à maritimo fastidio se recreandi gratia in Phrygiam terram legerunt. Quos Laomedon uel superbia, uel famosissimæ gentis terrore concitus , minaci nuncio extemplo abire præcepit.Hi quum aliò contenderent,nec uires,nec arma ad resistendum haberent,ob illatum dedecus indignati,excidium austerrimo regi continuo minitantes,obtemperauêre mandatis: ac perfecto uelleris negocio,ubi in Græciam rediissent,Hercules Phrygii regis opprobrii nõ immemor , maximorũ iuuenum ac principum Græcorum manu, armata classe ad Troiam uela remosq; direxit, & in littore expositis armis , ad mœnia impetuose contendit. Quod ubi sensisset Laomedon, audacter magis quàm caute inordinato agmine extra mœnia hostili impetu ausus cõgredi, insidiis interceptus fortiter dimicando extinctus est,suorũ parte maxima uel capta uel perempta. Hinc ad exterrita mœnia Hercules contendens,nullo custode nec in muris, nec in portis obstante introit urbem, & igne & ferro omnibus consumptis , Hesionam Laomedontis sororem Thelamoni Salaminæ regi, quia muros Troiæ primus inuaserat,ac in portas irruperat,dedit.Ex qua natus est alter ille Teucer,qui patria profugus , in Sidonia alteram Salaminam condidit . De quo Virgilius noster inducens Didonem effari ad Æneam.

Atq; equidem memini Teucrum Sidona uenire
Finibus expulsum patriis, noua regna petentem.

Ex Laomedonte superstes filius fuit Priamus , qui tũ forte aliò in armis aberat,Is & patris & patrię excidio cognito rediit,dirutamq; urbem impensa & opere adeo reparare institit, ut breui marmoreis saxosisq; turribus & ædificiis publicis ac priuatis augustiorem tutioremq; redderet . Assaracus uero Troi filius Ili frater, ut supra memini , genuit Capim,Capis Anchisen, Anchises Æneam,Æneas Ilum cognominatum Ascanium,ex Creusa matre natum,qui & Iulus fuit,à quo gens Iulia:unde tuæ gentis uocabulum trahis serenissime Auguste.Vt Virgilius,

At puer Ascanius,cui nunc cognomen Iulo, Additur,

Ilus erat, dum res ſtetit Ilia regno.

Priamus uero ubi in Græciam poſtulatum miſiſſet, ut Heſiona ſoror, quæ à Thelamone turpi ſeruitio cõcubina thori tenebatur, in matrimonium duce/retur, uel ſaltem reſtitueretur, deriſus neutrum obtinuit. Quare Alexander qui & Paris dictus, Priami filius manu electiſſimorum iuuenum in Græciã æquora ſulcauit, Helenamq́ Menelai regis uxorem Grecarum pulcherrimã rapuit. Quamobrem Græciæ reges armantur, & Agamemnone duce poſt decennẽ obſidionẽ Troiæ mœnia capta, in ruina ac cinere iacuere ſolo. Hinc Græcorum aſſenſu duo incolumes principum Troianorum receſſere, qui au tores pacis & reddendæ Helenæ ſemper fuerant, & Græcorum legatorum Vlyxis ac Diomedis honoratiſſimi hoſpites, Antenor ſcilicet & Æneas, quorum alter ex Laomedontis, uel ut quibuſdã placet, Priami ſorore natus, Aſſueti uiri nobiliſſimi fuerat filius Antenor, alter ex regio ſanguine ortus Æneas, ut ſupra demonſtratum eſt. Hi nauium claſſe parata, & patrijs rebus hominibusq́, quos arbitrio ſui delegerant, onuſta, panſis uelis, tenuere altũ, & per Ægeum Ioniumq́ prætereuntes Argolicas urbes, ſuadentibus fatis, ad Italiam remigauerant. Antenor è Ionio æquore ad dexteram flectens inter Dyrrachium atq́ Brunduſium, per latiſſimas ſuperi æquoris fauces ad Septentrionem conuerſus, hinc Dalmatas linquens, Illyricos ac Liburnos, il/linc Appulos atq́ Picenum, ad caput Adriatici maris curſum tenuit. Et reli/cto æquore, aduerſo flumine quod Brentenſia dicitur, ſurſum cõtendens, ter/ra potitus, ſedem ſibi ſuisq́ elegit. Et expugnatis Euganeis, qui tum ea inco/lebant loca, Patauium condidit. Is inter cæteros comites Enetorum multi tudinẽ numeroſam ſecum duxerat, qui Paphlagonia orti, patria pulſi, exules ad Troiam, quæ bello quum elaborabat, conceſſerant. Hi in proxima finiti/morum prædia longe lateq́ diffuſi, quia multitudine cuncta compleuerant, ex ſe gentibus nomen dedere, & Venetiæ regio dicta. De hoc Antenoris aduentu ſic meminit Vergilius,

Antenor potuit medijs elapſus Achiuis
Illyricos penetrare ſinus, atq́ intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timaui:
Vnde per ora nouem uaſto cum murmure montis
It mare præruptum & pelago premit arua ſonanti.
Hic tamen ille urbem Pataui, ſedesq́ locauit.
Teucrorum & genti nomen dedit, armaq́ fixit
Troia: nunc placida compoſtus pace quieſcit.

Hoc loco Imperator maxime, quum te perſæpe altiloquio tuo differentẽ du bitare animaduertiſſem, quod inſigne uexillis Antenori & Æneæ fuiſſet, ſi/ne quadam rei memoria, haud prætereundum arbitror. Sed cum Virgilio noſtro inſtandum, ubi de Antenore ſic profatur, Et genti nomen dedit, id

eſt, utramq́

est, utramque gentem, Italicos scilicet & Phrygios, qui ea incoluerunt loca, Troianos, uel ut alij tradũt, Antenoridas cognominari statuit, armaq; fixit, hoc est, in templis arma, & insigne armorum suspendit. Nam post exactam militiam, laboresq; militiæ mós antiquitus fuit, in deorum templis suspendere arma. Ideo arma fixit Troia. Troia fuit inter arma templis affixa, armorum insigne: quod nonnulli asserunt. Troia nanque uulgo Italice Latineq; scropha uel sus dicitur, cui uocabulo licentia sui allusit poëta: quod animal, quia eius nomen urbi Troiæ congruebat, aureo uexillo insigne armorũ statuit Antenor, absumptæ urbis Troiæ memoria. Verum in gestis Æneæ, alia euidentior ratio, quur ita uideri poterit: quare progredior. Æneas eodẽ itinere per Græcorum Achaicumq; fretum delatus, in Epiro reuisit Helenũ inter Argolicas urbes dominij ditionem tenentem. Narrat historia Pyrrhũ, Achillis filium, deleta Troia, Andromachen Hectoris quondam uxorem, & Helenum Priami filium seruitio secum duxisse. Inde quum sibi matrimonio iungeret Hermionem Menelai filiam, Heleno Andromachen tradit. Mox ab Oreste interfectus, quia sine prole interijt, in regno præsidem reliquit Helenum, ut ibidem Maro, ubi de se Æneas ad Didonem profatur.

Iuuat euasisse tot urbes
Argolicas, mediosq; fugam tenuisse per hostes. Et paulo post,
Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum Graias regnare per urbes,
Et primo Andromachen iterum cessisse marito.

Is Helenus Æneæ futura prædicens, monitus interpres deorum profatus fuerat, ibi locum sedis eius fore quietis, ubi in Italiam iuxta Tybridis ripas scropham seu suem triginta natorum fœtu iacentem uideret, ut Maro in tertio, ad Æneam loquutus Helenus,

Signa tibi dicam tu condita mente teneto.
Quum tibi solicito secreti ad fluminis undam
Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus
Triginta capitum fœtus enixa iacebit:
Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.

Æneas hinc discedens, & extrema Italiæ radens, circumuectum per Siciliam senem Anchisem patrem amisit. Inde per inferum mare diu fluctibus ex iniquo sydere uexatus, Aphrum tenuit littus. Mox pacato æquore, ad Italiam reuectus, appulit Tyberis ostio. Ibi tunc temporis Latinus rex Fauni filius gentibus imperitabat, qui ad rei nouæ tumultũ excitus, ut Tito Liuio placet, in armis obuiam pergit. Inde colloquio utrinque pacatis animis, duci Troiano filiam quam Turno Rutulorum regi primo desponsarat, matrimonio iungit Lauiniam. Æneas conditum oppidum ex uxoris nomine Lauinium

 appellat.

appellat. At Virgilius noster hac in parte aliter sentit, id est, Latinum non in armis obuiam processisse, sed Æneam legatos regi misisse: quibus auditis rex pacatus, & monitis deorũ adductus, Lauiniam filiam aduenæ Troiano tradit. Quamobrem Turnus impatiens opprobrij ereptæ coniugis, bello petit Æneam, nec uetante nec permittente Latino. Æneas ut uires & arma in hostem externo robore firmaret, ad Euandrum, qui tum his oris, ubi nunc Roma, autoritate ditionem tenebat, sursum aduerso flumine pergens, auxilij exposcendi gratia, suem, id est, scropham triginta natorum fœtu, ut Helenus prædixerat, iacentem aduertit, quietæ sedis certissimum omen, quam Iunoni deorum reginæ immolando sacrauit, ut Virgilius in octauo,

Ecce autem subito, atq; oculis mirabile monstrum,
Procubuit, uiridiq; in littore conspicitur sus.
Quam pius Æneas, tibi enim tibi maxima Iuno,
Mactat sacra ferens, & cum grege sistit ad aram.

Eódem Æneam Lauinium oppidum struxisse aiunt, simul & hinc scrophæ signum Troianis ortum quidam tradidere, seu ob iniecti fundamenti regiæ sedis memoriam, seu quia quietis genti scropha signum dederat, seu ob æternum insigne nominis Troiæ, quæ huic uocabulo animalis uulgo Italice includitur, ut supra memini. Præterea & nõnulli referunt historici, Aeneam more nauigantium inter cætera animalia ad usum uescendi, ut fit, suem uiuam secũ detulisse, ac ex oraculo responsum habuisse, quũ teneret Italiam, dimitteret eam. Inde quò reperta foret, sedi eius conderet urbem: quam in Campaniæ oris apud Auernum lacum, Baiarumq; fines demissam uolunt, mox supra Tybridis ripam. Quare elatum scrophæ uexillum, quocirca Helenus ad Ænam in tertio Virgilij,

Vade age & ingentem factis fer ad æthera Troiam,

Id est, insigne Troianum. At quum hac in parte te dubitare serenissime principum crebro percepissem, & in ambiguitate rei huius multos uagari, tulit calamus prolixius, & à proposito lõgius quàm exposceret intentio. Quis enim rem tot seculis remotissimam scrutaturus per uetustissima literarum uolumina sine ambiguitate euadere potuit? Sed ad propositũ redeundum. Ad Euandrum concessit Aeneas, & optato potitus Pallantem Euandri filium & ingentis roboris armatorum auxilia secum duxerat. Turnus post aliquot prælia clarissima uictus tandem ac peremptus Troiano cessit. Victor Aeneas post Latini obitum in regno successit, quem mortuum, & super Numicij fluminis ripam conditum, indigetem Iouem dixere, expleto anno tertio regni. Superfuit Ascanius eius filius Troiæ ex Creusa natus. Is Lauiniũ oppidum nouercæ Lauiniæ & Syluio ex Lauinia fratri relinquens, haud inde longe in Albano colle condidit Albam: intra Lauinium & Albam con

ditam

ditam triginta annorum ſpatium datur. Abſumpto Aſcanio frater eius Syl‑uius, qui & Iulus, à quo gens Iulia, & antiquum tuæ generoſæ prolis deriua‑tum cognomen Auguſte, regnat: quanquam inter autores ueterum in am‑biguo conſtet, utrum hunc Syluium an Aſcanium cognominatum fuiſſe Iu‑lum. Is Syluius poſt obitum patris ex Lauinia Italiæ natus, Poſthumus di‑ctus, quem Lauinia prægnans priuignum timens Aſcanium, ſecedens in quadam ſylua apud Tityrum paſtorem peperit, unde Syluius nuncupatus, ut Maro inducens Anchiſen, oſtentantem ſuorum progeniẽ Aeneæ,

Ille uides pura iuuenis qui nititur haſta,
Proxima ſorte tenet lucis loca, primus ad auras
Aethereas Italo commiſtus ſanguine ſurget.
Syluius Albanum nomen tua poſthuma proles.
Quem tibi longæuo ſerum Lauinia coniunx
Educet ſyluis regem, regumq́ parentem,
Vnde genus longa noſtrum dominabitur Alba.

Hic Syluius Syluium Aeneam filium reliquit, ex quo Latinus filius, à quo priſci Latini cepere nomen, & Syluium cognomen Albæ regnantibus datũ, ut quidam tradidere: quanquam Virgilius hoc cognomen regibus Albanis à Syluio Poſthumo deriuatũ ſentire uideatur. Genuit hic Syluius Albam, Atym Alba, Capym Atys, Capys Capetũ, Capetus Tyberinum, qui in Al‑bula flumine demerſus, mutauit fluuio nomen, Tyberi deinceps nũcupato. Ex Tyberino ſuperfuit Agrippa, ex quo Romulus Syluius, qui ſine prole ful‑mine ictus ſtirpis eiuſdem Auentinum in regno reliquit. Is decedens in quo ſepultus fuerat, colli nomen dedit. Huic ſucceſſit Proca, quo defuncto duo eius filij Numitor & Amulius ſuperſtites fuere: quorum alter Amulius Nu‑mitorem maiorem è ſolio fratrem deiecit: cuius uirili prole interempta, filiam Rheam Syluiam ut partum auerteret, ueſtalem uirginem ſacrat. Rhea gemi‑nos edidit, Remum ſcilicet & Romulum, à Marte compreſſa, ut traditur. Quod regi Amulio notũ, in uincula tradita matre, regio edicto in Tybridis alueo exponuntẽ gemini. Fama eſt in lupam geminos lambentẽ regium pa‑ſtorem Fauſtulum caſu quodam incidiſſe, qui uxori Laurentiæ nutriendos dedit. Iam adulti iuuenes, corporis & animi uires adepti, per ſyluas ac nemo‑ra non modo infeſtare feras, ſed & finitimis paſtoribus dominari occœpe‑rant. Tandem inſidijs Remus interceptus, ut prædæ reus ad Amulium du‑citur: inde quia eum cum fratre Romulo in agrũ Numitoris impetũ feciſſe dicebatur, ad pœnas ſupplicij materno auo traditur: à quo mox & ipſi nepo‑tes præſidio paſtorum in regiam facto impetu, Amulium obtruncant, & re‑ſtituunt Numitori regnum. Hunc ſcito Cæſar Auguſte gentis Iuliæ Alba‑norum regum ultimum, eamq́ gentem ad Iulium uſq; Cæſarem, teq́ prin‑

cipũ decus,ſine imperio priuatæ, in tuæ felicitatis tempora terminaſſe.Nãq; Romulũ Romanæ urbis imperijq; tui conditorem, materna linea incognito patre ortum,tuæ ſtirpis non cenſeo, ſi maiorum genealogiam recte complector.At nunc ad reges Romanos,conſules,dictatores,tribunos militares, ac plebeios ſubſequenter calamum deducam,ut ab origine ad tua feliciſſima ſecula Romana regimina noſcas. Igitur Palatino in monte, ubi adulti & à paſtoribus culti gemini erant,auſpicato parua mœnia ponunt,& ubi alter alterum non patitur, cui regnandum augurio permittunt. Qua contentione interfectum Remum deſcripſere quidam: aliter alij, quia fertur incœpta mœnia contra edictum tranſiluiſſe Remum à Romulo, cui regnare obtigerat,ſecuri percuſſum, & à nomine cõditoris urbem Romam nuncupatam. Ferunt anno uigeſimoſecundo ætatis,undecimo Kalẽd.Maias,quadringenteſimo triceſimo tertio poſt captam Troiam,Romulum urbis fundamenta ieciſſe.Qui primo conſtitutis ſacris,legum iura ſanxit,fecit & ſe regijs inſignibus auguſtiorem, circa ſe lictores inſtituit, Aſylum aperuit complendæ urbis gratia:centum Senatores creauit, quos patres autoritate nuncupauit reipublicæ conſilium:equeſtri Neptuno ludos finitimis gentibus indicauit.Circumſtantes populi cum familijs ad urbem, uelut ad rem nouam ſimul & ludos conueniunt. Tum ad ſpectacula intentis aduenis, raptæ uirgines Sabinorum,cæterarumq; turba,& in matrimonium abductæ. Raptarum parentes ad ultionem illati dedecoris arma parant,hinc pleraque bella orta, Cenineſes,qui primũ in agrum Romanum impetũ fecerant, uicti ſunt, Acrone eorum rege à Romulo obtruncato:cuius opima ſpolia in Capitoliũ ad quercum paſtoribus ſacram rex ipſe Romanus ſuſpendit,ibiq; Ioui Feretrio templum ſtatuit, quod primum Romæ ſacratum fuit, & de Ceninenſibus primum triumphũ egit,ut quibuſdam placet ſcriptoribus. Antemnates exinde populandi gratia hoſtiliter aduentarũt,qui à Romulo uicti in urbẽ ducunt. Hinc aduerſus Cruſtuminos ſubſequẽter tumultuantes, in armis Romulus profectus,ſuperatos hoſtes Romæ cohabitare coërcuit. Cum Sabinis ultima & acrior pugna fuit,nam ab his T.Tatio duce,Capitolij arce capta,mox uirtute Romuli recuperata,interuentu raptarum miſerando fletu implorantium, pacatis utrinque animis pax fit, & ex duobus regnis unum: nanque Sabini eorum imperium Romam traducunt, & ſub duobus regibus Romulo & T. Tatio commune dominium per aliquot annos fuit. Sed primo Tatius moritur à Laurentibus interfectus, anno quinto poſtquam Romæ regnare cœperat. Superfuit Romulus, qui demum uictis Fidenatibus ac Veientibus,ad Capreæ paludẽ concione habita, ſubito turbine & imbre, lumine ſolis adempto, inter fulgura obſtrepentia cœli ereptus nuſquam apparuit,poſtquam triginta & ſeptem regnauerat annis. Numa exinde Pompilius

pilius è Sabinis ortus, uir pietate & iustitia insignis, secundus à Romulo re/gnat, & pacatis finitimorum odijs gemini Iani templum ædidit, quod aper/tum bella, clausum quietem indicaret. Mox ad religionem conuersus, ut de/orũ timor ad mitiora truces flecteret animos, sacra instituit, sacerdotes creat, uirgines uestales sacrat, pontificem maximum primus declarat, dies fastos nefastosq; condidit, annum in duodecim menses diuisit. Postremo ubi maxi ma cum reuerentia & suorum & finitimorum tres & quadraginta regnasset annos obijt. Tullus Hostilius exinde rex tertius creatur, ad bella promptis/simus, animosior Romulo, cum Albanis armorũ negotium habuit, sed pau/corum cruore ac fortuna finitum. Nam trigeminis Horatijs Romanorum, & trigeminis Curiatijs Albanorum res hoc fœdere committitur, ut ciuitas pro qua pugnarent, qui uicissent, alteri imperaret. Vicerunt Horatij, Albani sub imperio Romano fuere. Fidenates ac Veientes proinde in agrum Ro/manum impetum faciunt, quibus uictis ac fugatis, Metium Albanorum di/ctatorem, quia ex fœdere in armis accitus, proditor rem Romanam maxi/mo in discrimine absentando deseruerat, Tullus quadrigis in diuersum actis alligatũ discerpi, Albamq; dirui, ac omnes Albanos Romam deuehi iussit. Cœlium montem intra mœnia clausit, numero & potentia crescente Roma. Cum Sabinis, qui patrijs in sedibus T. Tatij tempore inuaserant, bellum graue gessit, hostemq; uicit. Demum fulminis ictu cum tota domo absum/ptus, anno regni trigesimosecundo interijt. Ancus Martius Tullo successit, uir pace & bello clarissimus, ad arma & religionẽ paratus, ad sacra primum & templa condenda ornandaq; animum flexit. Mox quum res postularet, à sacris ad arma concitus, aduersus Latinos, qui primo in eum mouerant bel/la, se contulit, & Politorium unicum Latinorum præsidium expugnat ac di/ruit, omnesque in oppido repertos, Romæ cohabitandos destinat. Ianicu/lum collem urbi adiecit, pontem Sublicium supra Tyberim fecit: tum Quiri/tium fossa per plana deducta, carcerem primus struxit: usque ad mare dila/tati fines, ubi Tybris in æquora prorumpit, Hostia urbs condita, & Salinæ circumlatæ, Feretrij Iouis templum ampliatum. Decessit Ancus anno regni uigesimoquarto. Priscus Tarquinius à Tarquinijs Hetruriæ profectus exin/de regnum occupat: cum Latinis is primum bellum habuit, & Appiola ur/be expugnata, ingenti præda uictor redijt, ludos instituit, Circum erexit, aduersus Gabinos centurias auxit, quibus industria ac uiribus superatis, ar/ma cruenta hostium in Anienem flumen eijcere fecit. Quæ ex Aniene in Ty berim deuecta summæ uictoriæ nuncium Romæ detulere. Iterum eisdem hostibus secundo prælio attritis, Collatiam oppidum sui iuris fecit, Romam regressus, insigni gloria primus triumphat, ut quidam uolunt: cum Priscis La tinis bello orto pugnauit, quibus deuictis, pacem dedit, ui & armis oppidis

captis, Corniculo, Ficulnea, Cameria, Crustumerio, Ameriola, Medullia, & Nomento. Demum ad ędificia publica intentus, muro lateritio circuit urbē, ualles interiacentes collibus, cæteraq́ꝫ loca limosa, & sordibus repleta cloacis uacuat. In capitolio Iouis ædem grande opus inceptarat: tum interfectis à duobus Anci filiјs, obiјt anno regni tricesimo septimo. Seruius Tullius post hunc rex declaratur, ex captiua & nobili fœmina à Corniculo oppido grauida educta, in domo Tarquiniј natus & adultus, cū Veientibus & Hetruscis primum bellum sumpsit: quibus fortissime uictis, insignis gloria uictor rediјt. Censum primus instituit, quo & paci & bello opportuna redimerentur. In classes centuriasq́ꝫ populum diuisit. Domi paci tranquillæ, & foris in armis quod necesse fuerat, solertissima statuit industria. Ciues omnes, pedites equitesq́ꝫ qui arma ferre possent, in campum Martium conuenire edicto iussit, ibiq́ꝫ exercitum instructū ordine, porco, oue & tauro lustrat. Inde ad posteros Lustrū nuncupatū, quo octoginta milia ciuium censa referunt̃. Duo colles urbi tum additi Viminalis & Quirinalis, & Exquiliæ, ubi ipse regiam habuit: aggere, fossa, & muro, quæ urbi adiecerat circumclusit. Dianę templum condidit. Postremo à Lucio Tarquinio Prisci Tarquiniј filio, & genero suo, anno regni trigesimoquarto in uico Cyprio obtruncatur. Tarquinius inde regnum inuadit, qui male partum imperium, ita contumaciter rexit, ut cognomen Superbo sibi uendicaret, in patres ac senatum sæuiens, iniussu populi ad libitū agere om̃ia cœpit, occidere, carcerare, afficere supplicio, sui iuris fecit. Cum Volscis bellū habuit, q̃bus expugnatis, oppida Suessam & Pometiam eripuit, fraude & non bello, Gabios subiugauit, & cruciatibus attriuit. Cum Equicolis & Hetruscis fœdera tenuit. Iouis templum, quòd in Capitolio pater inceptauerat, maximo impedimento ac labore ad culmen erexit. Demum ob Lucretiæ per uim illati stupri dedecus à Sexto Tarquinio eius filio, Iuniј Bruti opera pulsus, in exulatum cum scelesta coniuge ac filiјs fuga perrexit, anno regni trigesimoquinto. Ab urbe uero condita ducentesimo quadragesimoquarto, depulsis regibus, sub consulibus annuo imperio iura Romana fuere. Senatus ut solidum corpus immutabile erat. Consules uelut membra, senatus consilium & rerum deliberatio, consules ad consulta peragenda parati. Dictatoris imperium, quod cæteros magistratus excedebat, ad terrorem cunctorum tum quum res Romana in extremis periculis nutare cerneret̃, creabatur, summæ potentiæ unicum robur. Inde ob truculentissimas inter patritios ac plebeios seditiones plebs armata maximo cum terrore nobilium in Auentinum, & ut aliјs placet, in Sacrum collem secesserat, nec inde abduci potuit, donec ad fauorem sui tribuni plebei primum crearent̃. Mox ad Decemuiros res uenit: nam Decemuiros creari placuit, qui sine alio magistratu annuo imperio reipublicæ præessent. Anno ab

urbe


urbe cōdita uno & trecentesimo, hoc imperiū in Appio Claudio atrocissimi ingenij uiro desinere uoluit, eiusdem obstinata perfidia: ob cuius scelestę libidinis nefas uiolandæ Virginiæ uirginis pudicissimæ, se abdicare magistratu Decemuiri coacti sunt. Tum ad consules res redierat. Verum paulo post Tribunis plebis autoribus, seditione ut aliâs orta, inter cætera obtinuere plebei, ut & tribunos militares haberent sicut & plebeios. Sed hi promiscue, uel patricij uel plebei esse poterant, qui aliquando consulare gessere imperium. Sed demum consules regnum obtinuere, quorum fasces adusque Iulij Cæsaris patris patruiq; tui principatum defluxêre, expletis ab urbe condita annis septingentis decem. Sub quorum magistratuum, consulum, dictatorum, & tribunorum militarium ductu per quadringētos quadraginta & septem annos omnis Italia uiribus armorum subacta est, simul & Alpes Cotthiæ, Pœninæ, & Graiæ, atq; Romanæ cum Alpinis populis, ipsis in rupibus duratis in ditionem conuenere. Africa ter uicta, primo & secundo & tertio bello Punico, inæstimabili uulnere utrinq; accepto. Romano imperio tandem parta Sicilia, Sardinia, Baleares, Creta insulæ obtentæ. Numidia uicto Iugurtha in potestatem redacta. Hispania genus armorum ferox nostrorum, nec sine Romano cruore subiugauere arma. Celtiberi, Cantabri, Astures, Lusitani, Numantia, omnisq; Gallicia flexêre ceruicem. Gallia atque Britannia nouem annorum Iulij Cæsaris labor fuere, tributariæ demum factæ. Post hæc Illyria, Histria, Liburni, & Dalmatæ obsecundauere perdomiti. Proinde in Græciam transitus fuit, qua perdomita, Epirus, Thessalia, & Achaia paruere mandatis. Ter Macedonia cum regibus suis debellata, & in prouinciæ formam demum redacta. Thraces sæuissimos omniū, Propontidem, & Thracium Bosforum cum ipso Byzantio uirtus Romana superatos reddidit. Hinc ad Danubium Rhenumq; tuis auspicijs uictoriosissime principum penetratum, & utriusque fluminis utranque ripam tuæ industriæ subiugauere uires. Duæ Germaniæ inferior ac superior tibi unico cessere. Norici, Pannonij, Sueui, Marcomanni, Daci, Mesi, cæteræq; nationes ad arcton superati. Europa in extremis finium suorum per te undique exterrita & armis cōcussa. In Asiā iam ante peruentū fuerat, & uicto Antiocho potentissimo Syriæ rege, uicto Mithridate, Syria, Phœnix, Ctesiphon, Babylonia, Iudæa, Palæstina, Arabia, Cilicia, & omne Ponti regnum cum ipsa minore Asia, in qua Phrygia, Lydia, Bithynia, Paphlagonia, Isauria & Cappadocia regiones cōtinentur, mandatis obtemperauere. Cessit & utraque Armenia armis attrita. Mesopotamia inter Tigridem & Eufratem, sanguine Parthorum ac Persarum crebro cruenta multiplici bello, demum Romano paruit. Diuersis temporibus cum Persis & Parthis assidue pugnatum, & utrinque cladibus acceptis, Romanus superior fuit, & obstantibus im

perauit

perauit. Ad arcton Colchi, Hiberi, Albani, Scythæ, Aſſyrij, Caſpij, cum Amazonibus ſuis ductu noſtrorum ducum ſubiugati ſunt: Aegyptiorum reges ultro in amicitia & fœdere ſteterunt. Cyrene ac tota Libya & Mauritaniæ extincto Iuba obſequentes fuere. Indi ex ipſo extremo Oriente poſtremo ad te glorioſiſſime principum in extremo Occidente tum bella gerentẽ, legationem miſere, ad obſequia ſe paratos profitentes, ut nonnihil te imperante haud ſupereſſet indomitum. Æternũ uale tui ſeculi perenne ac immortale decus Cæſar Auguſte.

FINIS.

BASILEAE APVD IOANNEM HERVAGIVM, ANNO M. D. XXXII.


HER
VAG.

13108

48